



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Commentarivs Martini Lvtheri in Ionam Prophetam**

**Luther, Martin**

**Haganoæ, [15]26**

**VD16 B 3890**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35968**


IK


1557

*Th. 137*


*17*

*25. 8.*





*Handwritten notes at the top of the page, including "dicitur et ridetur a propria sermone" and "3"*



# COM

MENTARIUS

MARTINI LUTHE

ri in Ionam Prophetam,

iam nouissime post alio

rum translationes latinus

factus à Vincentio

Obsopæo.

Prefixa est & noua à Luthe

ro præfatio, qua perstringuntur

ij, qui passim sua ita uertunt, ut

prorsus euertant & depraent.

Haganoæ, Iohan. Secer.

Anno XXVI.

*Handwritten mark at the bottom center of the page, possibly "M. 111"*

# MARTINVS

LVTHER VINCENTIO

OBSOPEO SVO

IN DOMINO.



RATIAM ET  
pacem in domino. Quod  
inter cetera mea etiam Io-  
nam prophetam, per me  
uernaculo commētario tra-  
ctatum, atinitate donasti,  
Vincenti charissime, per-  
gratum est mihi, tantū abest ut moleste feram, quod  
tu aliquoties suspicatus es. Illi sanè molesti sunt, qui  
non modo quæ contempta sunt, sed etiam aliorum  
optima quæq; sic uertunt, ut penitus subuertant,  
cum sint & linguarum imperiti, & mire indiligen-  
tes, ut taceam quantū errent nō raro in sensu, adeo,  
ut negatiuum reddant, quod est affirmatiue, & edi-  
uerso dictum. Tibi autem donatum uideo cum alijs  
paucis donum hoc non paruum, ut pure, proprie &  
diligenter uertas latine mea uernacula. Itaq; gaudeo  
Ionom meum per te latine loqui. Nō q̄ titillet me glo-  
ria

P R A E F A T I O

via inuulgati operis in aliena lingua, quā frustra sperare hoc seculo, sic Lutherum illum miserum cōtemnente per omnes, & ubiq;, ut uere cantare, uel plorare potius ausim cum Christo, Ego uermis et nō homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Sed quod bona conscientia letor, nihil mali, nihil heretici, nihil seditiosi in Iona meo, sed pia, sana & salutaria lecturos esse pios & bonos lectores. Dum interim inquieti illi & curiosi spiritus blasphemij audacibus conturbant orbem, & in sua monstrant, etiam pios & quietos animos. Scilicet Satae ista nequitia est, ut impijs dogmatibus, si perdere non potest omnes, occupet tamen & uexet omnes, ne puri & liberi, solis & puris doctrinis Christi studeant. Quo nomine & tibi iam secundo gratulor, qui in tantis turbis prophetarum furentium, non cedis, neq; mea impotentia scandalizaris, simpliciter autem eligis sincera & solida, in quibus nobis, imō Christo cooperaris, ad propagandam notitiam sanctorum, hoc est fidem quae est in ipsum. Macte frater, perge ut cœpisti, & dominus te augebit, & seruiabit. Placet autem ut Iohāni Secerio Haganoë libellum cudēdum tradas, quod multo maioribus officijs uir iste dignus sit, & in primis fidus & diligens typographus. Nam quod à quibusdam infamatur,



P R A E F A T I O .

quasi is Secerius sit , quem in praefatione postillari  
quadam, accusavi furti, puto fieri, aut ignoratia seu  
fallacia æquiuoci nominis, aut malitia hominum, qui  
hoc praetextu cupiunt homini immerito incommoda-  
re, sicut solet ubiq; Satã nihil facere nisi nocere. Nam  
in eadem praefatione satis clare testor Vuittembergæ  
fuisse in nostra Typographia illũ Secerium, quem uo-  
cant Locatorem, qui me inscio exemplar imperfe-  
ctum sustulit. Itaq; hoc meo testimonio, hunc meum  
Secerium, Ionæ mei Latini excusorem, excusatum fa-  
cio apud omnes bonos, ne grauetur fortuna seu infor-  
tunio potius, similis nominis. Hoc uolui adiectũ epi-  
stolæ huic, officij causa. Tu uero Vincenti in Chri-  
sto bene uale. Vuittembergæ uicesima quinta Aprilis  
Anno. M. D. XXVI.

P R A E F A T I O  
I N I O N A M P R O  
P H E T A M .

Q Via huius mundi princeps Diabolus seminatis  
ubiq; erronearum doctrinarum zyzanijs, Chri-  
stianorum infecit pectora, adeo, ut Ger-  
mania iam sectis et spiritibus sit refertissima, quorum  
ope

P R A E F A T I O

opera nedū multos à recto tramite seduxit, uerū etiā  
 ijs, qui infracto animo perseverāt, multa facessit ne-  
 gōtia, quibus occupatos extorta è manibus scriptura  
 suis cōtentionibus inuoluit, atq; ita demū tāta uersutia,  
 à studio, sacrariūq; literarū exercitio retractos, cōtētio  
 se litigātes obruat atq; perdat. Vehemēter operæ pre-  
 tium esse opinor, ut eius insidiosæ et perfidæ molitio-  
 nis technas fraudulentissimas, uigilanter obseruemus,  
 nec nos ipsos immodice parū utilibus et superuacaneis  
 cōtentionibus oneremus, ne extra castra et munitionē  
 nimū progressos et temere palātes adoriatur ex insi-  
 dijs, atq; intercipiat. Illud enim cōpertū habemus, mo-  
 nente Paulo, quid in animo suo mōstri alat, aut quas  
 nam conetur fallacias. Sed & Petrus hūc ipsum ne-  
 gat indulgere otio per ignauiam, uerū nunquam nō  
 obambulare & quæerere quem deuoret. Quāobrem  
 cum iam aliquandiu aduersus hosce spiritus & sectas  
 acriter pugnauerim, donec alij quoq; huic tragædiæ  
 ultro se admiscuerunt, statui relictis paulisper cōtētio-  
 nibus, ad cōsuetā scripturæ sanctæ exercitia regredi,  
 nostrāq; pectora denuo diuini Verbi esu pascere &  
 saginare, atq; adeo cōsolari & erigere, ne diutur-  
 nis prælijs fracti atq; lassati, abiecto resistendi ani-  
 mo, succumbamus. Quantū itaq; Deus Opt. Max.  
 sua nos uuerit gratia, hoc libello omnes animare

P R A E F A T I O .

elasticum canendo non cessabo, ut & uerbo diuino,  
 & scripturae consolatione recreati, reparatis animi  
 uiribus, ad resistendum inimicis alacriores & animo  
 siores reddamur. Illud autem non solum facio frau-  
 dulentorum spirituum & seclorum impugnantium  
 gratia, quibus nos diabolus à dextra uiolenter oppu-  
 gnat & impetit, uerumetiam ob crudelissimam ty-  
 rannidem, qua à leua eodem auctoris impulsu grauif-  
 sime diuexamur. Videmus enim manifeste quam nus-  
 quam cessant furere, & ne latum quidem unguem à  
 seuitia sua discedant, uesani principes et amētes Epi-  
 scopi, cum dei sui, hoc est, Diaboli instinctu omni-  
 bus modis decreuerint, Deum & Christum eius caelo  
 deturbatū, abolere planissime. Et iam passim multum  
 Christiani sanguinis inclementer & innocenter fu-  
 sum est, properatq; etiam num indies magis atq; ma-  
 gis fundere, ita, ut non iniuria gloriari possimus,  
 Christianismum ueros iam iterum induisse uultus,  
 dum utrinq; adeo crudeliter, hinc falsis doctrinis,  
 inde cæde & sanguine impetitur atq; oppugnatur.  
 Ad hæc dum adeo cōtumeliose & probrose ab utraq;  
 parte dilaceratur, condemnatur, maledicitur atque  
 illudatur. Ita, ut planè in ea sim opinione, Diabolum  
 omnibus nequitie & malitiæ suæ neruis intensis, ex-  
 trema moliri. Et quia nō obscure sentit apud animum  
 suum

P R A E F A T I O .

suum, instare diem iudicij, uoluit ante omnem sui ro-  
boris uim & potentiam aduersus Christum & Ver-  
bum eius semel experiri . Aduersus tãtas itaq; assul-  
tus & impugnationes certa cõsolatiõe nobis peropus  
esse arbitror, ne metu consternemur, sed intrepido  
animo illorum muliebres minas, impotentem fero-  
tiam, ficulneamq; uesaniã derideamus, certo per  
suasum habentes, illorum furorem nobis non nisi bo-  
no cessuram, sibi metipsis uero hũc ipsum fraudi fo-  
re, ut dicto citius Dei imminẽte iudicio, in fauillas re-  
digantur . Paulo momento opus est, & longe aliter  
se habebunt res utrorumq;, certoq; comperiet unã  
cum suis laruis Diabolus, hoc est, cum furiosis princi-  
pibus, & impijsimis Episcopis, qui nam illi fuerint,  
quibus nunc secure maledicunt, quos immisericordi-  
ter eiectos patria proscribũt, & quos uarijs cruciatibus  
magna tyrannide ad necem usq; excarnificant .  
Quapropter huius sancti Iona prophetae oracula  
scholijs tumultuanter effusis, illustranda suscepi, ut  
quem huic rei iudicariũ accommodatissimum . Siqui-  
dem præcipuum & singulare & plenum consolatio-  
nis exemplum cõfirmandæ fidei omnibus hominibus  
exhibet, nec minus immensum diuinæ bonitatis pro-  
digium . Quis enim non ex animo omnem fidutiã sa-  
lutisq; suæ spem certissimam in Deum collocare au-

P R A E F A T I O .

deat, omnesq; ex æquo, cum Diabolo tum ferocietates  
 Tyrannos, atq; adeo uniuersum mūdum, auxilio diuini  
 no fretus, audacter cōtemnere? hoc exemplum memo-  
 ria repetens, ubi tantū posse Dei potentiam & gra-  
 tiam liquido perspicit, ut Ionam etiam in medijs pro-  
 fundi pelagi fluctibus, ad hæc ab immani ceto absor-  
 ptum, hoc est, non ex uno mortis genere, sed infini-  
 tis, ab omnibus cum hominibus tum creaturis desti-  
 tutum & incognitum, ita facile seruat, incolumemq;  
 tanquam ex orco reducem facit, non secus ac si solus  
 Verbi uirtute et potentia illud effectum redderet, di-  
 ceretq; . Ecce, hanc uirtutem unco uerbo edidi, quid  
 futurū existimas, si ipsius spiritus mei neruos & uim  
 intenderem? tamen si humano cordi incomprehen-  
 sibile sit, aliud opus hoc maius atq; illustrius fieri aut  
 edi posse . Hunc etiam Christus hoc ipsum opus ma-  
 gnipendit, cæteris Prophetis omnibus, hunc Ionam  
 preponens, ueluti mortis & resurrectionis suæ exem-  
 plum longe certissimum, ubi inquit Matth. 12. Gene-  
 ratio praua & adultera signū querit, & signū nō da-  
 bitur illi, nisi signum Ionæ Prophetæ &c .

Quin etiam hic Ionas nō mediocrem adfert cōsolatio-  
 nem ijs, quibus uerbi diuini prædicandi delegata est  
 prouincia, ne ob exiguū Euangelij fructum protinus  
 desperent, quantumcūq; etiā sudoribus & laboribus  
 suis

P R A E F A T I O .

suis emēdatæ aliorum uitæ prouentus parum uidetur  
 responsurus . Siquidē unicus hic Ionas, ad regem om-  
 nium potentissimū, & regnū longe splendidissimū,  
 quod tūc in terris florebat prædicatū mittitur . Vt si Io-  
 nas, facta collatiōe, regiæ maiestati cōparatus fuerit,  
 ludibriū sit, & res ridicula, nec habitura fidem, tātum  
 regem tantiq; regni sublimem splēdorem, unius igno-  
 bilis hominis & peregrini prædicatiōe cōmotum tri-  
 cuius tamen ipse rex auditor non fuerat, sed famam  
 quandā de illa saltem obiter inaudierat, adeo, ut non  
 uerear illud affirmare, nullum Apostolum, nullū ex  
Prophetis, addam etiam maius quiddam, nec Chri-  
stum ipsum sua prædicatione rem sic arduā effecisse,  
 ut hunc Iona . Nec minore illud admiratione dignum  
 est, aut maiore etiam, Niniuitarum urbem florentis-  
 simam unica Ionæ prædicatione conuersam, quā  
 eundem in uentre ceti seruatum esse . Quemadmo-  
 dum enim cetus Verbo dei coactus est, Ionam illæsum  
 expuere, ita quoque Ionas Verbi diuini ministe-  
 rio urbem Niniuitarum è uentre & rictu Diabo-  
 lico, hoc est, è peccatis & morte eripuit . Cui  
 enim iniustum uideretur, si tantus rex sua fretus  
 potentia, hominem priuatum, ut mendacem con-  
 tempisset, cui ne Hebræi quidem sui multum ha-  
 bebant fidei? Sed & Apostoli ipsi, quemadmodum

P R A E F A T I O .

Christus, contemptissime sprete sunt ab huius mundi regibus & principibus. Psal. 2. Cum etiã nunc complures sint è numero & ordine Principum & Episcoporum, qui regi Niniuitarum collati, mendicabula essent circumforanea, nihilominus tamen adeo mendicitatis suæ sacco inflati cristas tollunt, ut nedum Verbum Domini fortissime cõtemnant, sed etiam crudelissime persequantur. Quãobrẽ Christus Matth. 12. Niniuitas omnibus impijs et infidelibus Verbi sui contemptoribus opponit, & dicit, Viri Ninivite surgẽt in iudicio cum generatione hac, & condẽnabũt eam, quod ipsi resipuerint ad predicatõnem Ionæ. Et ecce plusquã Ionas est hoc loco. Atq; hoc quidẽ non iniuria, cui enim hoc non extreme mirum uideatur, tam subito Niniuitas unica peregrini hominis prædicatione resipuisse, nullo prius uiso miraculo. Illos uero præfracto animo obniti, nec proprio seruatori fidẽ habere, quos tot cõtionibus, et editis miraculis, prope modũ obrussit. Quã uero turpe & dedecoratum hoc nũc est auditu, quãtũ uero dedecus erit, ubi hæc oculis coram intuebimur. Sed actum esse de illis quis nõ uidet? sunt enim et manebũt excæcati atq; obdurati. Iccirco illis posthabitis nos ipsos huius Prophetæ consolatione & utilitate, quantum Deus nostra cæpta secundauerit, confirmemus.

# IONAE PRO

PHETAE, CAPVT PRI

mum, iuxta hebræum

fontem. *Constat 8 ff*

**E**T factum est Verbum Domini ad Ionam, filium Amithai dicens, Surge, uade Niniuen, quæ est urbs magna, & prædica in ea, quoniam ascēdit malitia eorum ad faciem meam. Et surrexit Iona, ut fugeret ad mare, a facie domini, descenditque usque Iapho, ac reperit nauim, quæ transiret mare, dedit nauulum, & conscendit in eam, ut una cum illis mari se committeret, a facie Domini. Porro, Dominus attulit uentum uehementem super mare, ortaque est tempestas magna



## I O N A

in mari, ita, ut sese naufragium passuros uererentur.

Itaque timuerunt gubernatores, & clamauerunt, quisque ad Deum suum. Proiecerunt autem armamenta & uasa, quæ in nauis erant, in mare, ut ita leuior fieret. Iona uero descendit ad inferiora puppis, et quieuit et dormiuit.

Et appropinquauit ad eum nauta, dixitque ei, quo tibi somnus? surge clama ad Deum tuum, si forte meminerit nostri deus, & non pereamus. Et dixerunt quisque ad proximum suum, Venite & faciamus cadere sortes, & agnoscamus per quem nobis malum hoc. Feceruntque cadere sortes, & cecidit sors super Ionam, qui dixerunt ad eum, Indica age nobis, quare, & unde malum hoc nobis

bis

## I O N A

bis : quod geris negotium : unde uenis : quæ patria tua : & de quo populo tu : Et dixit ad eos , Hebreus ego , & Dominum Deum caelorum ego timeo , qui fecit mare & aridam . Timuerunt ergo uiri timore magno & dixerunt ad eum . Quid hoc fecisti : quia nouerant uiri , quod a facie domini ille fugeretur , quoniam indicauerat eis . Et dixerunt ei , Quid faciemus tibi , ut cesseret a nobis mare : quoniam mare commouebatur atque tempestas , dixitque ad eos . Tollite me , & proiicite me in mare , tum cessabit a uobis mare . Noui enim ego , quod propter me tempestas hæc magna super uos . Et remigarunt uiri ut redirent ad siccum , & non potuerunt

## I O N A

runt, præ uehementi maris procel-  
 la quæ super eos irruerat. Clama-  
 runt igitur ad dominũ & dixerunt,  
 Obsecramus domine, eia ne perea-  
 mus propter animam hominis hu-  
 ius, & ne des super nos sanguinem  
 innocentem, quoniam tu domine,  
 quemadmodum uoluisti fecisti. Tu  
 leruntq; Ionam, & proiecerunt in  
 mare, & stetit mare a furore suo. Et  
 timuerunt homines timore magno  
 dominũ, & immolarũt uictimã do-  
 mino, & uouerunt uota. Et parauit  
 dominus piscem magnum, qui de-  
 uoraret Ionã. Et fuit Iona in uentre  
 piscis, treis dies, totidẽq; noctes.

C A P V T S E

C V N D V M.

Ora

**O** Rauit autē Iona ad dominum  
deum suū de uentre ceti, & ait  
Clamaui in tribulatione mea  
ad dominum, & respondit mihi,  
de uentre inferni ululaui, audisti  
uocem meam.

Porro abiecisti me in profundum  
in cor maris, & aqua circundedit  
me omnes catarrhactæ tuæ & flu-  
ctus super me transierunt.

Et ego dixi, reiectus sum a cōspe-  
ctu oculorum tuorum, nec porro  
respiciam templum sanctum tuum.

Complexę sunt me aquæ usq; ad  
animam, abyssus circundedit me,  
& alga tegumētum est capitis mei.

Ad fundamenta montium descē-  
di, terræ repagula circa me perpe-  
tuo, & ascēdere fecisti de interitu ui-  
tam meam domine deus meus.

I O N A

Quom uiribus destitueretur su-  
per me anima mea , Domini recor-  
datus sum, et uenit ad te oratio mea  
ad templum sanctum tuum .

Qui custodiunt uanitates , frustra  
misericordiam relinquunt .

Et ego in uoce laudis immolabo ti-  
bi , quæ uoui persoluam , seruatori  
Domino .

Et dixit dominus pisci, et euomit  
Ionam ad aridam .

C A P V T T E R T I V M

**E**T factum est Verbū Domini  
ad Ionam , altera uice , dicens .

Surge uade in Nineue ciuitatē  
ingentē, & prædica in ea sermonem  
quem ego loquor tibi . Surrexitq;  
Iona, & peruenit usq; Nineuen, iu-  
xta Verbū Domini. Nineue autem  
cui

ciuitas ingens fuit Dei , trium die-  
rum iter continens, Et coepit Iona  
ingredi in urbem , tertiæq; eius par-  
te, quæ unius diei iter cõprehēde-  
bat peragrata, clamauit & dixit, Ad  
huc, xl. dies, et Nineue subuertetur.  
Crediderunt itaque uiri Nineuitæ  
Deo & indixerūt ieiuniū, & induti  
sunt saccis, a magnis usque ad par-  
uos. Accessit, autem uerbū hoc re-  
gem Nineue, qui mox surgens de  
throno suo, abiecto regio decore  
suo, sacco sese obtexit, seditq; su-  
per cinerem. Et clamauit & præce-  
pit in Nineue, edicto regis, opti-  
matiumq; suorū, dicens, neq; ho-  
mo, neq; iumentū, neq; bos, neq;  
ouis, uel tantillum gustabunt, non  
carpent pascua, nec aquas bibent.

Et operti sunt sacco & homo & iumentum, & clamauerunt ad Deum in fortitudine, reuersique sunt quisque a uia sua mala, & ab iniquitate, quæ in manibus eorum, dicentes. Quis nouit si cõuertatur, et poeniteat Deum, & quiescat a furore indignationis suæ, & non pereamus? Et uidit Deus opera eorum, quod reuersi erant a uis suis prauis, & poenituit Deum mali quod locutus erat ut faceret illis, & non fecit.

## CAPVT QVARTVM

**A** Team Dei clementiã, dolenter admodum tulit Iona, & propterea succensuit, ac deprecatus est dominum & dixit, Obsecro Domine, nõne hoc uerbum meum quom

## I O N A

quom adhuc essem in terra mea ,  
propter quod & præueni , ut fuge  
rem ad mare , quoniam noui q̄ tu  
Deus misericors & miserator , lon-  
ganimis aut lentus ad iram & mul-  
tæ miserationis & poenitētię super  
malo , & nūc domine , suscipe quæ  
so animam meam a me , melius est  
enim mihi , quam uiuere , mori. Di-  
xitq̄ Dominus , num iusta iracun-  
dia tua ? & egrediebatur Iona ex ur-  
be , & sedebat e regione urbis , &  
fecit sibi illic umbraculum , seditq̄  
sub eo sub umbra , donec uideret  
quidnam urbi accideret. Parauit au-  
tem Dominus Deus uitem albam ,  
& fecit ascendere super Ionam ,  
ut præberet umbram capiti eius ,  
ut eriperet eum a malo suo , & ga-

B ij



## I O N A

uisus est Iona ob uitam albam gau-  
dio magno. Parauit autem subin-  
de Deus uermem, quom aurora  
mane illucesceret, & percussit uitē  
albam, & aruit. Et contigit, ut or-  
to primum sole Deus pararet uen-  
tum urentem orientalem, & attigit  
sol caput Ionæ, adeo ut exanimis  
redderetur, et animæ suæ mortē de-  
precaretur, & diceret, Satius mihi  
est mori quā uiuere. Dixit porro  
Deus ad Ionā, num iuste succenses  
uiti? qui respondit, iuste succenseo,  
uel ad usq; mortem. Dixitq; domi-  
nus, tu succēses propter uitē cā-  
didā, quæ neq; tuo labore produ-  
cta est, nec in magnitudinem cre-  
uit. Cæterum, ut una nocte orta  
est, sic una nocte periit. Et ego non  
mise

miserante affectu tangar erga Nine  
uen, ciuitatem magnā, in qua sunt,  
ultra centum & uiginti millia homi  
num, qui non nouerunt discernere  
inter dextrum & sinistrū, & iumen  
torum copia?

FINIS

**V**olunt nonnulli, è quorum numero est Hierony  
mus, Ionam prophetā, uiduē in Sarphat apud  
Sidonem fuisse filium, quæ Heliam prophetam tempo  
re famis nutrierat. 1. Reg. Cap. 17. & Lucæ. 4. hoc for Iona unde  
tasse inducti argumento, quod seipsum hic filiū Ami natus  
thai nominet, hoc est, filiū Veracis, cum mater sua  
ad Heliam dixerit, eo iam à morte excitato Nunc in  
isto cognoui quoniam uir Dei es tu, & Verbū in ore  
tuo uerum est. Horum quidem sententiæ ego non  
subscribo. Sed patrem eius dictum Amithai nemo fa  
cile negabit, qui latinis est Verax, fuitq; natus de Gad  
Hepher, quod oppidū in tribu Zebulonsitū esse, testi  
monio est Iosua Cap. 19. Ita enim posteris proditum  
est. 2. Regnorum Capi. 14. Hieroboam restituit termi  
nos Israēl ab introitu Emath, usq; ad mare solitudinis,

B ij

COMMENTARIUS

iuxta sermonem Domini Dei Israël, quē loquutus est per seruum suum Ionam filium Amithai prophetam, qui erat de Gath, quae est in Hopher. Præterea uidiā in Zaphat gentilem fuisse satis constat, cuius rei et Christus mentionē facit Lucae .4. Ionas porro capit. primo Hebræum se esse fatetur.

Locorū et tēporū cognitio utilis. Hæc eo dicta sunt, ut ubi sciri potest, intelligamus uehementer utilem esse cognitionem temporum, et locorum, in quibus hic aut ille propheta uixerit. Hoc enim multum præstat adminiculi, et lucis eius libro intelligendo, ubi tēpus locū, personam, adhuc res, et tempestate gestas, ad unguē perspectas habuerimus. Certum igitur nūc scimus, hunc Ionā uixisse tempore Ieroboā regis, cuius auus fuerat rex Iehu, quo tēpore Vsa quoq; in Iudæa imperiū obtinebat. Vixerunt sub idem tēpus in Israël Propheta Hoseas, Amos, Ioel in alijs locis. Ex quibus omnibus facile coniectura fit, quanti nominis, et momenti hic habitus sit Ionas in Israël, et quāta per eū Deus effecerit. Nimirū quod ob suā prædicattonē rex Ieroboā tāta fortunæ prosperitate, et indulgentia usus sit, armisq; omnia recuperarit, quæcūq; Hasaël rex Syriæ per uim imperio Israëlitico abstulerat, tantisq; de prædationibus spoliauerat, quas multo ante uberrimis lachrymis deplorare cogitur Heliseus propheta. 2. Reg. 8. Nihilominus tamen

IN IONAM

tamen tantis beneficijs Deus Ieroboā cumulat, tametsi regnū Israēliticū subinde idola colebat, & unā cum Deo, utulos aureos quoq; in Samaria adorabat. Tum inestimabile gratiæ diuinæ munus est, ubi Deus cuiuspiā regno, urū suo uerbo instructū miserit aut largitus est, cuius gratia nedū ei regiōi scelera, et impietate cōdonat, sed immēsis etiā beneficijs prodest. Quid nō faceret, ubi eiusmodi bonorū uirorū maior esset copia? Quo tempo-  
 Illud uero ex scripturis nullo modo planē indicari po- re Ionas mis-  
 test, num hæc res Ionæ, in Niniue & pisce gesta sit, sus sit ad Ni-  
 antequā auxilio fuerat regi Ieroboā, an postea ubi à Ni niuitas.  
 niuitis defunctus iam legatione, reuersus est. Credibi-  
 le tamē est illū prius suo regi opē tulisse, & inseruiss-  
 se, donec regnū recuperatū stabiliuerit, & tādē por-  
 rō ad Niniuitas ē sua patria à Deo esse missū. Didice-  
 rat enim experimētis, ante apud suos etatē agēs, quā  
 mitis, & misericors esset Deus etiā aduersus Israēl im-  
 piam, & idolorum cultricē. Quare planē persuasum  
 habebat eadem māsuetudine, & misericordia Deum  
 erga Niniuitas usurū, prædicationēq; suā fore super-  
 uacaneā, quo nomine grauter stomachatur Capit. 3.  
 Proinde tēpore Ionæ in uniuerso mūdo florētissimum  
 fuisse Niniuitarū imperiū in Assyria satis liquet, quē-  
 admodum postea apud Babylonios nō minori successu  
 uiguit, & deinde Romæ. Sed & aliorū tūc populorū

COMMENTARIUS

erant satis ampla imperia, uidelicet Syriorum, Israëlitarum, Iudææ, Edomitarum & Moabitarum, quæ priuatim suis erant subiecta regibus. Porro imperiū Israëliticum propter Ionam, tunc temporis regnante Ieroboam, in magno stabat uigore. Sed & Iudææ regnum, sub Vfia foelici rerū successu utebatur. Mortuo uero Ieroboam ubi populus nolebat resipiscere, neq; ab idololatria discedere, nec plagis emēdatus, nec uictus beneficijs, imperium Israëliticū funditus concidit, regesq; alternis cædibus subinde mutuo se cōficiabant, donec Assyriorū rex uenisset, euersaq; cum Syria tum Israël, ipsos omnes in captiuitatem abduxisset, adeo, ut nec in hodiernum diem, pristinam libertatem recuperarint, id quod testatur ultimū caput secundi libri Regnorū. Proinde cum totius regni instaret euersio & uastitas, propter delicta populi, uoluit ante mittere Deus (quæ sua est clemētia) per Prophetas Verbum suum, quo illos ad resipiscētiā cohortatur, & præmonet, ut ad minimum, aliquot saltem ex illis conseruet, imminētīq; exitio subtrahat. Ad hunc enim modum serē ubiq; & semper Deū egisse uidemus, ut, quoties populum aliquem esset puniendus, certoq; eius iracūdiæ flagellum instaret, prius Verbo suo misso, impendentē iracūdiæ furorē prænūciat, quo saltē aliquot emēdatos saluos faciat. Ita legimus

Deus per prophetas nos ad resipiscētiā monet.

mus Noa ante diluuium esse missum . Loth , priusquam euerteret absumeretq; igne sulphureo Sodomam . Abrahamum uero Isaac & Iacob antequam terram Canaam uastaret . Porro Iosephum & Moysen priusquam horrendis plagis Aegyptum percuteret . Ita quoq; sic Ionam & Hoseam , ante Niniuitarum et Israëliitarum imperiorum eersionem . Sed & Christum ipsum filium suum unigenitum antequam ueniret dies ille magnus & horribilis in mundum misit . Ceterum post Christi mortem nedum , urbs Hierosolymitarum deleta est funditus , sed Romanorum imperium quoq; euersum est . Quinetiam nobis ipsis eadem iam praesto est gratia , maximaq; diuini Verbi lux effulsit . Quo circa magnum aliquot malum nostris ceruicibus imminere dubium non est , & , nisi me omnia fallat , in hoc Deus est , ut aliquot e medio breui sit ablaturus , priusquam exitum paratum ex improviso omnes nos obruat atq; absumat , si non mature resipuerimus . Cuius rei pro dolor nullam spem relictam esse uideo , & iam bonam futurae plagae partem haud obscure persensimus .

Surge & uade in Niniuē ciuitatē magnā , et praedica in ea , quia alce . &c .

Principio uidemus hoc in loco manifeste , Deum nedum Iudeorum curam habere , sed etiam gen-

Magnum malum nobis imminet .

COMMENTARIUS

tiliū, ut recte Paulus dixerit Rom. 3. Deū non solū Iu-  
dæorū esse Deum, sed etiā gentiū. Tametsi nusquam  
certis inditijs hic deprehēdi potest Niniuitas unq̄ fuis-  
se circūcisos, aut Iudæorū legem suscepisse aut tenuis-  
se, sed in hoc tantū laudari, quod Verbo Dei prædi-  
cato crediderint, & relicta impietate anteaactæ ui-

Circūcisio in tæ pœnitentiā egerint. Et hoc quidem argumento ual-  
utilis ad con- de impugnatur Iudæorum pertinatia, fides uero Chri-  
sequendā iu- stiana non mediocriter cōfirmatur, quod quidem osci-  
sticiam. tanter nobis negligēdum non est. Ex hoc enim poten-  
ter colligimus concludimusq̄, circuncisionem, & le-  
gem Mosaicam, ad iustitiā probitatemq̄; consequen-  
dam, non esse cōducibilem aut necessariam, falsumq̄;  
esse, quod Iudæi putāt omnium hominū interesse, ut  
professo Iudaismo, legem Moisaicam suscipiāt atq; ob-  
seruent, quasi Iudæi tantum essent populus Dei san-  
ctus, & electus. Hic enim Ionas suo libro fortiter ob-  
sistit, & probat Niniuitas absq; lege & Iudaismo, so-  
lā fide & operibus Deo placuisse, & satisfecisse, nec  
Deum plura ab illis exegisse. Si enim lex per Mo-  
sen tradita ad consequendam iustitiam fuisset necessā-  
ria, omnibus modis etiam Niniuitis erat obseruanda.  
Cōtra diuersum reperimus à Iudæis requiri fidem, &  
opera, parumq̄; illis prodest circuncisio, cerimoniamq̄;  
diuersitas, quas in uniuersum Esaias Cap. ii.

con

contēnit, et reijcit, ut rectissime dixerit Paulus Rom.  
 2. Gentes quæ legem non habebant, natura quæ legis  
 erant, fecisse, Iudeos uero per legem, legis trans-  
 gressores factos esse. Quamobrem haud difficulter  
 deprehēdimus legem Mosaicam, Iudæis tantū ad tem-  
 pus esse datam, ut coërcerētur, & humiliarentur, ue-  
 luti idem Paulus ad Galat. 4. disputat, et prorsus nō  
 in hoc, ut per illam seruata, laudem iustitiæ cōseque-  
 rentur, sed ut Christum, & dei gratiam hoc sitirent  
 auidius. Cōfirmat itaq; prophetia sua Ionas, quod ab  
 Apostolo Rom. 3. præclare dictum est, ex operibus le-  
 gis non iustificari ullum hominem corā deo, sed absq;  
 operibus legis fide iustificari credentes, quæ postea  
 bonis operibus officiosa sit, & efficax, id quod &  
 in Niniuitis postea spectabimus. Iam si Niniuitis lex  
 Mosaiica non fuit suscipienda aut obseruanda, nec Iu-  
 daismus profitendus, tametsi Christus nondum uene-  
 rat, & lex apud Iudæos uigebat, quanto minus no-  
 bis lex amplectenda nunc est, posteaq; Christus iam  
 uenit, & lex etiam apud Iudæos abrogata est. Quo  
 circa nihil aliud nobis, ut Niniuitis, necessariū esse ui-  
 demus, quàm sanam & sinceram fidē per charitatē  
 erga proximū operātem. Hoc uero nō tantum dico,  
 ut Iudaicam pertinaciā oppugnem, quàm ut nostram  
 quoq; doctrinam solidioribus argumentis cōfirmem,  
 qui



COMMENTARIUS

qui, quum hanc diuinā doctrinam amplectimur atq;  
affirmamus, non unius Diaboli insultum sustinemus.  
Primum quidem Papam cum omnibus suis creaturis,  
**Onera Papæ** & membris, à quibus hæc doctrina ut nuper nata no-  
uitatis nomine damnatur iniustissime, onerantes nos  
longe grauioribus & pluribus legibus, quàm unquā  
Moses Iudæos sua lege grauauit, uoluntq; nos impor-  
tabili traditionum suarum onere iustos & probos fa-  
cere. **N.** Plane tamen opinor eandem satis esse uctustam  
& antiquam, cum tempore Ionæ ante Christū mul-  
tis retro seculis fuerat. Sed & satis uehementem &  
sufficientem, quippe quæ per Ionam prædicata Ni-  
nuitas conuersos iustificauerit, contra legis Mosaicæ  
adminiculum, priusq; quisquam detestandam perdi-  
tissimi Papatus abominationem somniauerit. **S E-**  
**C V N D O** nimium hostiliter oppugnamur, et multifa-  
riam quidem à seditiosis spiritibus, qui nobis etiā in-  
uitis Mosē omnibus modis conantur obtrudere, pa-  
**Seditiosi spi-** rum compertum habentes, quid inter Mosē & Chri-  
**ritus.** stum intersit, aut quousq; Mosi auctoritas se propa-  
get, aut cui tandem usui seruiat. Cuiusmodi fuerunt  
hactenus, qui imagines magno fastu deiiciendas &  
corrumpendas esse docuerunt, quiq; mundanæ gladij  
administrationem unā cum Mosē nitebantur coniun-  
gere, magno supercilio confidenter uociferantes, hic  
hic

IN IONAM

hic (si Dijs placet) est Verbum Dei. Quasi uero satis esset, si adsit Verbum Dei, ac non cum discrimine accurate habenda sit ratio, qui nam ij sint, quibus hoc demandatum sit. Neq; enim negabis & hoc fuisse Verbum Dei. Noë arca structuram fuisse creditam, item Abrahamum in mādatis accepisse à Deo ut immolaret Isaac filium, præterea Salomoni templi substructionem fuisse demandatum, uerum enim uero ob hoc mihi quoq; non est extruendum templum, aut immolandus filius, aut arca fabricanda, quia illis imperatum erat. Neq; enim tale uerbum à Deo ad me unq; factum est. Hoc tamē nobis omnibus sine discrimine dictum est, quemadmodum Ninuūitis, Resipiscite & credite, quamobrem illud non tantum spectandum est, an sit Verbum Dei, sed an nobis illud dictum sit nec ne, & sic nobis arripiendum erit aut posthabendum.

Vide uero cuiusmodi Deus Ionæ tradat prouinciam, Officium Ionæ dum illi uni munus prædicationis commēdat, aduersus potentissimum Assyriorum imperum, aduersus regem suosq; principes & tot torquatos aulicos. Præcipue uero cum adeo indigne & impotenter ferant magnates, siquis eos uel leuissimo ioco notatos reprehendat atq; corripiat, uoluntq; in uniuersum non reprehendi. Nihilominus tamen Deus hic Ionæ serio

COMMENTARIUS

demandat, ut illis sua scelera atq; malitiam detegat,  
 & prædicet, que quidem res magnum requirit ani=  
 mum. Hic certe nullius auctoritati aut dignitati par=  
 Ardua res a=  
 liorum uitam  
 reprehendere. cendum est, sed libero ore utendum. Nam haud du=  
 bie ad hunc modum cum eis loquutus est, Scelesti estis  
 omnes, perditu & damnati o Ninuitæ, uestraq; il=  
 la bona conuersatio in spectem, nihil aliud quam hy=  
 pocrisis mera est, uobis breui futura exitio. Neq;  
 enim fieri potest, ut in tam amplo, & splendido im=  
 perio, non fuerint homines alicubi, qui coram mun=  
 do honeste, & inculpate uixerint. Hos nunc o=  
 mnes certatim indiscriminatimq; reprehendere, atq;  
 diuine iracundiæ metu conterrere, opinione maioris  
 negotij res est, nec admodum tolerabilis, precipue  
 magnatibus. Et ne nimium sim uerbosus, leuicula res  
 nobis prorsus uidetur, dum eandem externe saltem  
 contemplamur, nec de nostro luditur (quod aiunt)  
 corio. Quod si tamen idem nobis aliquando usu ue=  
 niret, aut tunc præsto fuisset, plane opinaremur  
 nos nec stultiorem nec factu impossibiliorem rem aut  
 uidisse aut audiuisse unquam, quam quod tantu impe=  
 rium, ab unico homine priuato, sit ulla uoce impetē=  
 dum aut prouocandum. Quam uero corā mūdo esset  
 ridiculū aut cōtemptibile, si quis priuata et infimæ cō=  
 ditiois, ad Turcarū Cæsarem unā cū principibus &  
 toto

IN IONAM

toto regno suo obiurgandum mitteretur. Quam uero non raro extreme uisum est ridiculum, si quis leuiter Pontificem ausus est carpere aut perstringere. Ita plerunq; fit, ut Dei opera inuitio uideatur ridicula, nec factu possibilia, ut ratio etiã omni spe abiecta, ea quae Opera Dei rationi ridicula-  
 que contemptissime ridere, & subsannare non uereatur. Hæc tamen omnia nostræ utilitatis gratia sunt, ut indubitanter credamus, Deum certo siquid dixerit aut incoeperit ad fastigium, suprema manu imposta, perducturũ, tã etsi terq; quaterq; in oculis humanis stultum & impossibile uideretur. Dei siquidem stultitia sapientiũ est hominibus. 1. Corinth. 1. Atq; huius rei comprobandæ, abunde argumento est hic Ionas.

Et surrexit Ionas ut fugeret super mare a facie domini, & descendit in Iapho.

Latina translatio unã cum interpretatione Septuaginta, hic habet in Tharsis, ubi ego uerti, super mare. Nunc uero ne ab illiteratis, & amulsis asinis, aut alioqui malignis hominibus temeritatis accuser, meæ uersionis rationem reddendã esse censeo. Dicunt autẽ Ionã nauigio isse Tharsum, quæ urbs est Cilitiæ, unde Paulus erat oriũdus, Act. 9. Cuius rei nullũ pbabile, et idoneũ reperitur in scriptura sacra testimoniũ.

Neq;

COMMENTARIUS

Sic Graeca  $\epsilon\iota\varsigma$  Tharsis, aut super Tharsis. Hebraica lingua duabus  
 $\delta\alpha\gamma\omega\tau\iota\varsigma$  uocibus mare nominat,  $\text{ים}$  uidelicet et  $\text{תרשיש}$   
 Iam, nedum magnum mare dicitur, sed & magna sta-  
 gna, sicut Lucas mare stagnum aliquoties nominat,  
 quod Christus saepe traiecit comitatibus discipulis iux-  
 ta Tiberiadem Capernaum & Betsaida, quod à Io-  
 hanne Capit. 6. & alijs Euangelistis mare Galileum  
 dicitur. Sic quoque Moses Genesi. 1. dicit.

$\text{ולמיקוה המים קרא ימים}$

Et cōgregationes aquarum uocauit Iamum, id est, ma-  
 ria. Porro  $\text{תרשיש}$  proprie magnum mare di-  
 citur, quod stagnum non est, nec dici potest. Qua-  
 le est Carpathium illud aut Cilicium, in quo Rhodus,  
 Cyprus, & alia complures insulae sitae sunt, quodq;  
 Paulus Actuum. 28. nauigasse scribitur. Et quod nunc  
 Turca, Veneti, Galli, & Hispani obtinent. Protē-  
 ditur enim à Cilicia usq; ad fines Hispaniae. Ita quoq;  
 mare rubrum, & alia pleraque magna maria.

$\text{תרשיש}$  recte nominantur.

Non secus quoque in Psal. 72. legimus.  $\text{מלכי}$

$\text{תרשיש ואיים מיצוה ישימו}$  Id est,  
 Reges Tharsis & insulae munera offerent, id est, re-  
 ges maritimi seu maris. Satis enim certo cōstat Thar-  
 sum nunquam fuisse imperium, aut Regem habuisse,  
 taceo

taceo multos reges. Ad hunc quoque modum rex Solomon naues suas emittebat in Tharsis, hoc est, super mare orientem uersus per mare rubrum, ut ex India aurum conueherent. Est autem nullo modo uerisimile aut probabile, eos tunc nauibus iuisse Tharsum, nisi super terram illos nauigasse contendamus, quo quid dici potest absurdius? Quandoquidem inter Tharsum, & mare rubrum non nisi itinera pedestria interiacent, id quod Cosmographis obscurum non est. Ita quoque canit Psalmus. 48.

ברוח קדים תשבך אניות תרשיש

In uento uehementi conteres naues Tharsis .i. naues maris. Sic Esaias Capit. 23. statim in principio.

וייללו אניות תרשיש

Ululate naues maris. Et ne numquam immorer, huiusmodi testimoniorum magna passim in scripturis uis colligi potest, adeo, ut etiam Hieronymus fateatur, rectius hic exponi atque intelligi mare quam Tharsum urbem. Neque uero Ionas certum locum ex negotio adornata fuga petebat, cum nusquam quicquam haberet rei aut negocij, unum hoc cogitans, ut conscenso mari fugam maturaret, parum sollicitus, quo a uentis aut undis iactando propelleretur, fugam, inquam, erat appetens, de loco non cruciabatur animo, quod etiam textus hic clare probat, eum uidelicet surrexisse, atque fugisse a facie domini. Et

COMMENTARIUS

eum certum suffugij locum ignoraret, mare cōscendere statuit, liberam faciens uentis, & fluctibus quocunq; tandem impellendi facultatem.

Iapho. Iapho, ea est ciuitas, quæ alio nomine dicta est Ioppe, ubi nunc est portus, in quæ appellunt nauigātes Hierosolymā, sonatq; latine pulchrā aut formosam. Nauigauit itaq; Ionas à Hierosolymis, & Iudæa per mare, occidētē uersus, cui rei astipulatur hoc uerbū, quod fugeret à facie domini. Quis autē potest à facie domini fugere? an nō ubiq; esse credendus est? iuxta Psalmi. 138. testimoniū. Quo à spiritu tuo, aut à facie tua fugiā? Neq; uero Ionas tā uacors erat, aut nullius iudicij, ut nesciret Deū nusquam non esse, cū ipse post fateatur se seruū esse Domini, et Deum cœli et terræ colere, qui fecit mare & aridā. Atqui, et illud inaudierat Deum esse in Niniuen, præsertim cum decreuisset illorū maliciam punire uelle, & Ionā eò in hoc mittere. Est uero hoc ita intelligendū. Deus geminā habet præsentiam, unam naturalem, alterā spiritualē. Nam realiter in omnibus locis esse creditur, & recte quidē, cui rei suffragatur Esaias Cap. 66. cū inquit, Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedū meorum. Hæc ratione etiam in medio inferni, mortis, & peccatorū esse perhibetur, quod Psalmo paulo ante citato probatur. Si descendero ad infernum ades &c.

Et

Deum esse  
ubiq;.

IN IONAM

Et sic quidem, nemo eius aut potētiam aut præsentiā potest effugere. Spiritualiter uero tantum ibi præsens est, ubi ita cognoscitur, hoc est, ubi eius Verbum, fides, spiritus & uerus Dei cultus uiget, & ibi quoque sui sunt, qui tantum sentiunt Deum eiusmodi esse Dominum, qui sua omnipotentia, in omnibus locis præsens sit. Cæterum impij hoc ipsum haud quaquam sentiunt, multo minus credunt, aut cōpertū habent Deū ubique esse, tametsi non raro hæc audiāt, eademque ab alijs audita apta cōmemoratione, prompte percensere queant. Ita haud difficulter à facie domini fugere possumus, migrantes eò, ubi nec Verbo eius, nec fide, nec spiritu, nec ulla Dei cognitione homines sunt instructi. Ad hunc modum Ionas fugit à facie Domini, relicta Iudæa, in qua Verbum Dei, spiritus, fides, & cognitio Dei que cultus erant, mare cōscendit, hoc est, in gētes proficisci cōtendebat, ubi nulla fides, nullus spiritus, nullum Dei Verbum audiebatur.

Eam uero à multis hoc loco quæstionem adferri uideo, num Ionas quoque peccauerit, quod mandato diuino dicto minus fuerit audiens, quodque fugerit à facie Domini. Prisci doctores quidem illi, nimium fuere propensi ad excusandum prophetas, & apostolos, aliosque spectatæ sanctitatis uiros. Qua quidem stulta sua humilitate eò delapsi sunt, ut non



COMMENTARIUS

Sācti nō prorsus à peccato liberi sunt.

mediocrem iniuriā scripturæ sanctæ intulerint, dum eam uiolenter torserunt, deprauaruntq; ne sancti uiderentur ulli peccato obnoxij. Quanquam hæc illorum officiosa humilitas ferenda sit, quam ex odio, et peccati detestatione iustitiæq; amore profectam esse satis constat, periculosum tamen est ita torquere, & resingere scripturam, illorum expositiones sequēdo. Christus longe aliter apud Matth. 5. loquitur, cuius fore, ut cœlū, & terra aboleatur, priusq̃ unum tota, aut unus apex de scriptura depereat. Multo autem consultius est, ne nimis tribuamus sanctis quàm nimum, et ut in aliquibus eos defraudemus, quā quod Deo, & Verbo eius per iniuriam aliquid decidat. Si quidem citra sanctorum adminiculum, & suffragia saluari possimus, sine Verbo diuino non item.

~. Mordicus igitur nos uerba textus amplexi, cōstanter affirmamus, Ionam hic graue admisisse facinus, cuius gratia damnatus fuisset, si non in numerū electorum ante relatus, inq; libro uiuentium scriptus fuisset. Quis enim hoc negare audebit, Deum Ionæ præcepisse, ut in Niniuen prædicaturus abiret. Atqui & hoc certum est, Deum non toco, sed serio hæc præcepisse, atq; adeo non minore edicto, quàm quo Adamo esum de ligno scientiæ boni, & mali in paradiso interlaxerat. Dicit enim, malitia urbis Niniue ascēdit

ad

ad me, quæ quidem uerba nihil aliud significare possunt, quam Deum graui pœna totum Assyriorum imperium punire decreuisse. Et ne plus iusto sim prolixior, magno furore aduersus illos incanduerat. Iam & illud liquet Ionam uehementibus adeo mandatis de industria fieri immorigerum, dum fugam capessit, recusando obsequi, nihiloq; leuius peccauit hac sua inobedientia, quam Adam in paradiso peccauerat. Officij enim eius fuerat, nedum hoc diuinæ uoluntatis mandatum prompte suscepisse, sed summa etiam animi alacritate obijisse, & citius ceterum mortem appetiisse, quam diuinis iussis non obtemperasse. Quid enim potest esse aut execrabilius aut abominabilius quam uoluntati Dei reluctari? Vide qualem pœnam inobedientiæ dederit Adam, Saul, & populus Israëliticus. Imò pone tibi ob oculos saltem hic Ionam, et nisi me omnia fallant, opinor hunc sane lōge grauissimas, neglectæ uoluntatis diuinæ pœnas persoluisse, ut ipsa etiam pœna satis possit esse inditio, quam non fuerit uulgare peccatum, Dei mandatum negligēter præterire. Quam uero foeliciter effugit manus Dei conscenso iam mari, ut optabilius illi uisum sit, ter mortem in terra pertulisse. Et dum Ninuen iussus ingredi recusat, è puppi deturbatus in medium mare ab immani ceto absorbetur.

Ionæ peccatum.

Citra cuncta  
 tionem Deo  
 obediendū est.

2. 46. 276.

Ceterum hæc omnia, ut nos moniti cautiùs agamus,  
 scripta sunt. Primū quidem ut illud disceremus eum,  
 qui noluerit uolens Deo obsequi, oportere uelit no-  
 lit magno suo malo, Deo dicto audientem esse, cū il-  
 lius uoluntas nō possit non fieri. Videmus hic quoq;  
 q; qui leuiculum quiddā ob gloriā omnipotentis Dei  
 facere detrectauerit, huic multo grauius ferendū es-  
 se suppliciū, adeo, ut nihil uideatur factu cōsultius, q̄  
 citra moram prompte obsequi et dicere, fiat uoluntas  
 tua, quēadmodum in coelis sic etiā in terra. Illud uero  
 certissimum est propēsæ Dei in Ionā misericordiæ si-  
 gnū, quod mox perpetrati peccati piaculū punit, nec  
 ad tempus conniuenter dissimulando malum institu-  
 tum Ionæ sinit sceleriter procedere, ut in eo perseue-  
 rando nulla illi concessa sit cunctatio. Ut ipse quoq;  
 non male cū Dauide dicere possit, Dominus corripuit  
 me, sed morti nō tradidit me.

2. 5. 1. 5.

S E C V N D O ut  
 immensam Dei misericordiam recte perdiscamus, nec  
 quicq; nostris meritis sumamus aut imputemus, siue  
 bonis siue malis, sed certo persuasum habeamus, nos  
 nec peccatis damnari posse, nec bonis operibus salutē  
 consequi, sed sola Dei gratia nos seruari, alioqui pe-  
 rituros ex æquo cum sceleribus nostris, tum etiā bo-  
 nis operibus, si peccatis onerati desperaremus, aut  
 bonis operibus freti, falsam nobis fiduciā fingeremus.

Quan

Quandoquidē hic liquido perspicis, nullo bono opere Ionā promereri, ut illæsus in uentre ceti seruetur, atq; deinceps quoq; incolumis in terrā deponatur, uerum sola diuina gratia, cuius præclaram ille mentionē facit in hymno suo, quem in sequētibus audiemus. Cōtra & illud uides, abunde satis magna, & detestanda hic esse peccata, & tamen ob hæc non damnari Ionam, nec deserri, cuius rei caussam non aliam esse putes, quàm quod ille, tametsi magnis peccatis obnoxius sit, spem tamen, & animum non abiiciat, sed mordicus gratiæ Dei inherendo, ultro se pœnæ offert. Quod si enim abiecta spe, despondisset animum, nunq̄ ex his malis emerisset. Fecit enim fides sua pertinax, & in medijs peccatis, & morte uinci nescia, ut Deus sui non possit obliuisci, sed cogatur planè eundem incolumen iterum in lucem reducere, qua de re infra plura dicturi.

Cæterū, & hæc magnæ consolationis loco nobis memoriæ prodita sunt, uehementerq; animos nostros subleuant, uidentes sanctissimos quoq; homines maximis peccatis esse subiectos, nec nos solos miseros, & calamitosos esse peccatores. Sed illos quoq; fuisse homines ad peccandū natura pronos, & propensos, habuisse carnē, & sanguinē nō secus atq; nos. Ne uidelicet protinus omnē abiiciamus animū, ubi peccata

Sanctorū la=  
psus solatio  
nobis sit.

uerimus aut labimur, & ne e regno gratie per falsas, & erroneas hominum doctrinas impiamq; superstitionem excidamus. Nam quemadmodum in regno gratie nullum adeo grade, & detestabile peccatum esse potest, cuius non impetrari possit uenia. Ita quoq; extra gratiam nullum opus adeo bonum, & sincerum est, nulla uita tam sancta, & inculpate acta, quae non damnetur. Illud uero in regno gratie permanere dico, ne aduersus gratiam quoq; impietate nostra peccemus. Caterum aduersus gratiam bisariam peccatur. Primo, ubi peccata aduersus pracepta Dei commissa hoc Diabolico auctario cumulauero, cum uidelicet omni spe impetrandae ueniae abiecta, impia desperatione uictus succumbo, haud quaquam credens Deum pro sua misericordia mihi admissa mea benigne condonaturum, nec quicquam reliquum esse gratiae. Vbi enim haec in animo uiget opinio, ibi nullam gratiam reliquam esse certum est, sed Deus cum omni sua gratia, & clementia impia negatione dehonestatus, atq; extrema ignominia affectus est. Et hoc deinceps non humanum sed Diabolicum, inquam spiritum sanctum peccatum est, quod nullam promerebitur unquam ueniam, quandiu in corde permanserit. Siquidem pugnat ex diametro cum gratia, per quam peccata sunt condonanda.

Bisariam peccatur contra gratiam.

Porro illud in regno gratiæ permanere dicitur, ubi me quamlibet grauis peccatis onustum, diuinam Permanere in tamen gratiam delictorumq; cōdonationem impetra regno gratum non diffido aut despero, sed pertinaciter persequor. Nihil minus suatum habeo, etiamnum superesse gratiam, & peccatorum ueniam, tametsi uiderem aut sentire me Dei omniumq; creaturarum iracundia deuorandum esse. Nec aliter loqueretur mea conscientia, quam de impetranda gratia actū esse, nec Deum uelle mihi ignoscere. Et hoc tandem est gratiam Dei super omnia extollere, laudare, & magnificere, cuius fiducia aduersus iram, & iudicium nobis pugnandum est. Quod & Iacobus in sua epistola testatur inquit, Misericordiam aduersus iudiciū gloriari, hoc est, gratiam ualere, & magni esse momenti, plusq; posse, quam omnem iram, iudicium & cōdemnationem Dei. Qui nunc ista, nulla hæsitatione distractus, constanter credit, ille magno animo aduersus iracundiam, & iudicium Dei gloriari potest. Qui hoc non poterit, penes hunc pugnat iudiciū aduersus gratiam, nec fieri potest, quin gratia pessum eat, inualecente, & dominante iudicio ad mortē, & cōdemnationē. Quæ admodum contra, ubi sola gratia confidenter locum obtinet, ibi iudiciū irritum fieri necesse est, atq; adeo solum gratiam ad uitā, & perpetuam fælicitatem po-

COMMENTARIUS

tenter dominantem penetrare, sicut hic in Iona hæc omnia accidisse uidemus. Et hæc quidem non potest dici humana iusticia, quæ nostris operibus, & uiribus nitatur, sed angelica, at quid dixi angelica? immo diuina potius iusticia dicenda est, quæ sola fide, et spiritu sustentata, sine omnibus operibus ex sola gratia p̄det, id quod omnibus operibus factu est impossibile. Hæc enim omnia in corde, & conscientia peraguntur, quo nullum peringere aut inesse potest opus.

Operum fiducia pestilens.

SECVNDO, peccatur aduersus gratiam, quoties hac detestanda persuasione bona opera facio, ut hinc spe, & fiducia concepta meam conscientiam fultiam atq; confirmem, quasi apud Deum operum multitudine iustificari queam aut uelim, nec adsit peccatum amplius. Hac etenim falsa persuasione gratiam mihi inutilem, & irritam facio, tanquam superuacaneam aut non necessariam, dum id operibus tribuo, quod gratiæ proprium, & peculiare est. Atq; hic iterum impia, & nefaria abnegatione diuinam gratiam conspurcamus, qua quid dici potest execrabilius? iamq; hic non amplius diuina sed Diabolica regnat, & manet iusticia, quæ ueniam nunquam merebitur, quam diu incognita permanserit. Et hoc tandem est extra gratiæ regnū esse, & uiuere, neq; non contra gratiā detestabili impietate peccare, quoties

ties

ties ita nonnullis operibus freti, uanam, & impiam  
 iusticie probitatisq; persuasionem induerimus, non  
 requirētes aut postulantes peccatorum ueniam, mul-  
 to minus gratie cupidi sumus, uerum gratia, & ue-  
 nia in totum contempta, ipsis operibus iustificatio-  
 nem obtinendam esse arbitramur. Et sic quidem Iaco-  
 bi sententia præpostero ordine inuertitur, nec am-  
 plius dici potest, misericordiam gloriari aduersus iu-  
 dicium, sed opera gloriari aduersus iudicium. Imò  
 opera gloriari aduersus misericordiam. Atque illud  
 peccatum est in spiritum, quod remitti nequit, hoc  
 est, uacat gratia per quam remitti possit, ueluti o-  
 mnia reliqua peccata, quæ non hoc proposito perpe-  
 trantur. Cetera quippe peccata eam pertinaciter  
 obtinent fiduciam, adhuc uidelicet superesse gra-  
 tiam, & ignoscendi locum, & maiorem quidem  
 quàm sint peccata. Ceterū hæc peccata, & bona  
 opera, submota ab oculis gratia, omnem quoque fi-  
 duciam impetrandæ ueniæ repudiant, estq; planè pec-  
 cato persuasum, nihil reliquum superesse gratiæ, quæ  
 uellet aut possit ignoscere. Bonis autem operibus gra-  
 tia uilis uidetur, & nihili, & non necessaria aut  
 conducibilis. Ad hunc modum, & peccata, & bo-  
 na opera regno gratiæ exciderunt, peccantq; ad-  
 uersus gratiam.



Ex his nunc facile intelligi potest, quid sibi uelit Chri-  
 stus, cum inquit peccatum in spiritum sanctum nec  
 Peccatum in hic nec in futuro remittendum esse, Matth. 12. Marc. 3.  
 spiri. sanctum Et Iohannes ubi docet pro peccato mortali non esse  
 quod sit. orandum. Mortale namq; peccatum, peccatum in  
 spiritum sanctum uocat. Cuius rei summa hæc est.  
 Quicumq; peccatis grauatus desperauerit, aut fretus  
 operibus uanam fiduciam sibi finxerit, in spiritum san-  
 ctum, & gratiam peccat, culpæ nunq; remittendæ ob-  
 noxius. <sup>N. S. inuocandi</sup> Iam mei quidē officij esse haud quā inficior,  
 ut orem pro eis, quò à tali peccato liberati conuer-  
 tantur, & resipiscant. Quod autem Deus in tali pec-  
 cato constitutis, sit clemens, & propicius, utq; sua  
 gratia maioris sit momenti, & ponderis in illorū cor-  
 de, quàm eiusmodi peccatum, quemadmodum in  
 alijs peccatis ferè fit. Illud uero nullo modo orandum  
 est, cū res absurda, & factu impossibilis. Hic enim  
 planè mihi ipse dissiderem orando pugnantiā, ut &  
 gratia Dei minoris aestimetur, & maioris fiat quoq;  
 quàm illud peccatum. Quod quidem nullo modo fie-  
 ri potest aut sperandum est. Sed aduersus illos potius  
 mihi orandum esse intelligo, id quod Moysen quoq; fe-  
 cisse legimus Nume. 16. ubi aduersus Core orat, in-  
 quiens. Ne respicias sacrificia eorum. Quippe Co-  
 re, & ipse animū induxerat operibus aliquid efficere

ram Domino, nec poterat alia ratione suoq; maximo malo grauius peccare aduersus gratiam, & hoc in eo tolerandum non erat. Alioqui omnia peccata ferenda sunt, gratiam non tollentia aut pernegantia, sed eandem dominari permittentia. Atq; de peccato in spiritum sanctum iam ferè satis diximus.

Ceterum quid Ionam, quo minus Deo obsequens fuerit, potissimum impulerit, quod adeo grauatim Niniuitas accesserit, ferè ab omnibus hic quæri solet, & percensentur quidem multe rationes. Vnã quidã eius officij recusandi causam esse uolunt, quod uiderit sibi delegari munus prædicandi, nouũ & inauditum, cum præ ceteris omnibus Prophetis ipse solus ad tam potentem regem extra patriam peregre mittitur. Cum nusquam memoriæ proditum legimus, Deum unquam ullum prophetam è regno Israëlítico ad tam longinquam regionem, tamq; magnificũ principem ablegasse. Quia uero Ionæ hoc mandatum uisum est prorsus insuetum, & inauditum, cuius nullum extare uidebat exemplum simile, non uulgariter animus eius cõmotus est admiratione quadã prodigiosa, dum se unum posthabitis alijs à Deo mitti intelligit. Veluti naturaliter in eiusmodi casibus caro affecta est, ut difficulter, & grauatim adgrediamur, si quid Deus per nos est innouaturus aut effectum red-

Quid mouerit Ionã, quor non obtemperarit Deo.

ditur

C O M M E N T A R I V S

diturus . Sicut Petrus, Iohannis ultimo, iam certus de morte sua, ad Iohannem subsequentem conuersus curiose respicit, rogans quid Iohanni faciendū aut perferendū foret . Nec uidemus ultimo tamē, nobis etiam solis diuini mandati iussa esse capeſſenda, quamlibet reluctantibus, non ſecus quā hic Ionæ accidit, qui, dum à ſuis deſerta patria pertinaciter abire recuſat, poſtremo ſolus in mare proiectus, etiam eſca fit ceto, dum immani riſtu abſorbetur, ubi aliā cogitationē habere nō potuit, ſe ſolū cū Deo eſſe in cœlo, et in terra . Hæc uero res eſt factu grauiffima .

Neq; hoc improbabiliter aut inepte dici poteſt, Ionam tanti regis timuiſſe magniſcentiam . Sunt etiam nonnulli in ea opinione, ut putent ob hoc eum deuiſſe delegatam prouinciam, quod ſollicito animo timuerit, ne, quod prædictum eſſet Niniuitis, non foret euentum, ſuamq; prophetiam fore uanam, et irritam, id quod & factum eſt . Quo circa maxime fuiſſe anxium, & ſollicitum, ne mendacis, & pſeudopropheteæ crimen incurreret, cuius Verbum nec uerum, nec à Deo miſſum eſſet . Hæc uero cauſa nulla eſt, ſiquidem Ionas planè compertum non habebat, quid futurum eſſet, cum quartum capitulum, dicat eum è ciuitate egreſſum expectaſſe, do nec urbs interiret ſicut Sodoma, & Gomorrha, & pro

IN IONAM

propterea indignari quoq; dum se frustratū sua spe  
 uidet. Vnde liquido colligi potest, hāc ueram eius in- \*  
 obedientiæ fuisse causam, quod Ninuitis ut gētibus  
 parum ex animo fauerit, habueritq; etiannum carna-  
 lem quandam, & Iudaicam de Deo opinionem, ac si  
 Deus tantum esset Iudæorum Deus, non etiam gen-  
 tium. Quare hoc animo fuisse haud dubium est, ut  
 cogitaret Ninuitas indigniores esse, quā quibus  
 Verbum, & gratia Dei annuncianda sit, cum non  
 sint populus Dei, hoc est ex Iudæis aut Israēlitis oriū-  
 di. Qualem opinionem carnalem quidem illam pri-  
 mitus obtinebant, & Apostoli, Christi regnum ex-  
 ternū fore, & carnale, & post, ubi idē spirituale co-  
 gnouerant, constanter tamen in ea opinione perdu-  
 rabant, gentibus non esse annunciandum regnum  
 Christi, sed solis Iudæis offerendum, nec alijs quā  
 Iudæis prædicandum esse Euangelium. Act. 8. do-  
 nec Deus per uisionē Petro cœlitus reuelarit Act. 10.  
 Perq; manifestam Pauli, & Barnabæ uocationem,  
 Act. 13. prodigijsq; & signis, demum quoq; com-  
 muni Apostolorum concilio ratum fecerit Act. 15.  
 Gentibus etiam datam, & annunciandam esse ean-  
 dem cum Iudæis gratiam, & se Deum quoq; esse gen-  
 tium, & non tantum Iudæorum.

Difficiliter enim credebant Iudæi extra Iudaismum

COMMENTARIUS

Et Israël, adhuc gentes esse relictas, quas populū Dei  
 quis dicere possit, præsertim quoties memoria repete-  
 bant tot Prophetarum oracula, nihil aliud quàm po-  
 pulum Israëliticum, Et Abrahæ semen sonantia, Et  
 dum penes ipsos adeo solos, Dei Verbum, cultus, lex  
 Et Prophetæ uisebantur. Ut Paulus etiam nulla alia  
 inductus causa epistolā ad Romanos scripsisse uidea-  
 tur, in qua efficaciter, Et potēter demonstrat, Deum  
 non solum Iudeorum fuisse Deum, sed etiam gētium.  
 Nihil enim perinde hodie quoq; Iudeis est obstaculo,  
 atq; illud quod non credant, gentes non minus esse  
 Dei populum, quàm Iudeos. In ea itaq; opinione,  
 Et Ionam fuisse nemo facile inficiabitur, quæ quidem  
 illi magni lapsus occasionē præbuit, ut suo quoq; ma-  
 ximo malo, ad hæc uitis albæ similitudine, neq; nõ ef-  
 ficacissimo testimonio cœlitus exhibito didicerit, Dei  
 Ninuitarum quoq; urbem, ipsosq; Ninuitas suū fuis-  
 se populum. Itaq; sicut Christus ad discipulorū suo-  
 rum carnalem illam quidem de regno cogitationē, fal-  
 sam tamen, connuet, sic Ionæ quoq; non dissimilem  
 carnis opinionem benigno animo distimulat. Quam  
 enim hætenus graue, Et arduum creditu fuerit, us-  
 quam esse Christianos, qui Romano Pontifici non es-  
 sent subiecti, neminem esse qui illud ignoret, opi-  
 nor. Vbi tamen præter perditam hypocrisim, præter  
 simus

Quæ fuerit  
 Ionæ lapsus  
 occasio.

IN IONAM

simulatam uitae sanctimoniam, praeter imposturas,  
 & animarum perditiones, & bis mille nocendi artes,  
 praeter erroneam scripturarum interpretationem, ni-  
 hil conspiciebatur. Quid factum fuisse credendum  
 est, si apertis scripturarum testimonijs, Papatus fuis-  
 set adprobatus, sicut Iudaismus erat. Qua uero de-  
 testatione, quibus diris, & execrationibus Turca-  
 rum, Iudaeorum, & gentium conuersationem abomi-  
 nantes, unicuique Papatum deuotissime fuisset am-  
 plexi. Hac opinione Ionas quoque de Iudaismo, & re-  
 gno Israëlitico carnaliter hallucinatus est.

Et hoc est quod dicit Capit. 4. propterea se fugisse,  
 quod probe compertam habuerit, quam propitius,  
 et misericors esset Deus &c. Quibus uerbis plane in-  
 dicat, grauter et aegre tulisse se, tam obuiam tanquam  
 ad miseresendum propensam Dei misericordiam,  
 qua Niniuitas quoque iam benigne complexus sit, uo-  
 luisseque propterea multo libentius hoc muneris nunquam  
 sibi à Deo impositum, imò potius mortuum esse, quam  
 quod diuina gratia, solis Iudaeis peculiariter promissa,  
 gentibus etiam sit communicanda, quibus neque sint  
 eloquia Dei, neque lex per Mosen tradita, neque ulla  
 ceremonie, sed ne Prophetæ quidem. Sed quæ pla-  
 nè aduersus deum, et populum eius saepenumero sedi-  
 tiose, & hostiliter pugnauerint. Quod autem haec

COMMENTARIUS

fuerit Ionæ opinio, illud indicio est, quod Deus iracū-  
diam eiusq; animum commotum his uerbis compe-  
scat, Non parcam Niniue &c. Quæ quidem uer-  
ba nihil aliud indicant, quàm Ionã nimis indigne tu-  
lisse, quod urbs à Deo nō sit euersa funditus, nec aliã  
tanti stomachi, & querelæ causam habet, quã quod  
Ninuitis ignouerit, uidens rem longe aliter succes-  
sisse, atq; ille futurum prædixerat, & semet omni  
spe frustrari. Ita hæc res gesta non leuem aut uulga-  
rem nobis præstat consolationē diuinæ misericordiæ.

Personarum  
nullus respec-  
tus.

PRIMUM quidem, ne ignoraremus apud Deum  
nullum esse personarum respectum. Et ne quem te-  
mere iudicemus, aut de quoquã quamlibet profliga-  
tæ uitæ desperemus. Siquidem Ionas hic in persona-  
rum respectu prorsus absorptus est, adeo ut Ninui-  
tas ad populum Israëlitiũ collatos apud Deum æsti-  
met pro nihilo, audacter eosdē mortis reos esse pro-  
nunciens ut condemnatos. Quinetiam omni spe de-  
posita nunq̄ fore opinatur, ut illi gratiam à Deo im-  
petrent, sed omnino illorum interitum magno desyde-  
rio expectat, non aliter cogitans. Cuius uero prætij  
sunt peccatores, aut qua tandem re digni æstiman-  
di sunt, quibus neq; lex neq; ullæ sunt ceremoniæ?  
Quod si tamen, & illis gratia communicanda est,  
quid tunc facit Israël tot legibus, tot ceremonijs oner-

rata, si gentibus non est melior, aut nulla re præpo-  
 leat, & gentes sine legibus, & eiusmodi innumeris  
 ceremonijs ad eandem gratiam perueniunt? Quod si  
 ita se res habet, tunc aliter apud animum meum non Iudeorū lex  
 possum statuere, quàm Iudeorum legem, & cerimo sublata  
 nias esse superuacaneas, quibus frustra defatigantur,  
 quasq; per integrum diem, grauter aestuantes labo-  
 rantesq; perferūt, & hæc à tali sudore immunes aqua  
 lem tamen nobiscum denarium auferunt. Qui uero  
 fieri potest, ut hæc laboris, & sudoris inæqualitas Iu-  
 deorum animos nõ magnopere commoueat, atq; ad  
 obmurmurandum patrifamilias non ualde prouo-  
 cet? Imò qui hæc tanquam parum iusta factuq; impos-  
 sibilia coram Deo non uideantur?

Vide uero quàm tota uia erret, hanc animi cogi-  
 tationem sequutus. Quippe ubi nullum prorsus opi-  
 natur locum esse gratiæ, sed meri furoris exaspera-  
 tam iracundiam, ibi omnium maxime abundat gra-  
 tia. Et ubi putat Verbum Dei contemptissime habi-  
 tum multo minus susceptum iri, ibi potissimum de-  
 uote, & humiliter illud amplectūtur homines. Ita, ut  
 experimento proprio plane perdidicerit, neminem  
 esse iudicandum, neque de quoquàm spem abijcien-  
 dam, multo minus diuinæ gratiæ locū aut terminum



COMMENTARIUS

praefigendum, sed nec tempus nec modum praescribendum. Sed neque personam aut merita praeposenda, id quod carnales Iudeorum cogitationes faciebant. Diuinis iussis SECVNDO, ut nihil cunctantes aut causantes obedendum est. tes quantotius mandatis à Deo acceptis, obsequentes simus, parum solliciti, quam illa caeteris rebus sint apta aut conuenientia. Sed libenter dicto audientes propter Deum pro stultis habeamur, omnem honorem illi deferentes, quod solus ipse sit sapiens, iustus, & uerax in omnibus uerbis, & operibus suis. Quemadmodum Abrahamum fecisse sacrae testatur litera, ubi filium suum Isaac immolare iussus, non quaerit, neque cum Deo expostulat, quam haec priori promissioni conueniret, qua Deus ante fuerat pollicitus fore, ut in Isaac benediceretur illi semen. Quod si enim incertus animi, multum diuque apud se deliberasset, aut quaesiuisset, factus fuisset longe perturbatior atque incertior. Quae quidem animi haesitatio atque perturbatio inobedientiae causa demum illi haud dubie fuisset, non secus atque Iona, qui dum Niniuitas cum Israelitis confert, & obsequi cunctatur, fit, ut prorsus Dei iussis inobedienter reluctetur. Caeterum si simplici animo perstitisset ita cogitando, Quorsum uero ad te attinet, quod Deus Israelitas uarijs cum legibus tum ceremonijs onerare uoluerit, Niniuitas uero non item-

Si

Siquidem illi in manu est, utrisque suam impertire gratiam, ita, ut Israëlitis ob impositas seruatasque leges, & ceremonias nihilo plus largiatur, nec Niniuitis ob earundem inopiam nihil detrahat. Quorsum uero ad te attinet quod hæc Israëlitis seruanda mandat, alijs autem minime. Vnusquisque suæ fidei concreditum munus fideliter, & strennue obeat, quippe gratia nihil omnino ex æquo impertietur, & operantibus, & non operantibus, ueluti Paulus docet Roma. 4. Et hæc quidem ratione cum Abrahamo in obediētia atque obsequio permansisset.

Et dominus suscitauit uentum magnum, & facta est tempestas magna in mari, & nauis &c.

Hic ob unius peccatum omnes pariter periclitari uidemus. Quippe propter Ionam solū a deo hæc tempestas concitata est. An non hoc iniurium aut iniquum esse uidetur, quod apud Deum ob unius peccatum puniantur etiā innoxij? Alienāque culpam cæteris quoque fraudi esse? Illud certius est quàm ut infitiādi locus relictus sit, Deum nō esse iniustum, sed nec iniuste facere, quicquid tandem fecerit. Neque enim illi ullam legem, hoc aut illud sic statuendi aut omittendi possumus aut debemus præscribere. Vbi uero legibus lo-

Multos adfici-  
git Deus ob  
unius pecca-  
tum.

COMMENTARIUS

cuis nō est, ibi nec peccatis aut iniusticiæ locus conceditur. Quamquā uero hanc tempestatem propter lonam excitatam esse, nec ipse ualde diffitetur, & opus ipsum illud abunde probat, illos tamen, qui tunc in eadē nauī fuere, à peccato immunes, aut omni culpa uacasse quis audet affirmare? Cuius gratia corā Deo omni momento morte, & quouis pœnarum genere erant multandi. Quis enim apud Deū est innocens scelerisq; purus? Quamobrem omnes ex æquo peccato obnoxios hic pari pœna, & supplicio afficit, tamen si lonæ culpa, tam improuisæ pœnæ unice causa extiterit. Eam quoq; tempestatem subito atq; ex improuiso coortam esse, ualde probabile est, cum textus dicat, Deum uehementem uentum proiecisse in mare. Et Hebraicus textus habeat.

.i. ייחוד הטייל רוח גדולה אל הים

Et Dominus proiecit uentū magnū super mare. Quod nō aliter sonat, quā quod Dominus ita uentū emisserit, ac si eundē uolēter, & impetuose magnis procellis, & fluctibus super mare protruderet, ita, ut homines haud difficulter animaduernerint, præter naturalem, & inusitatum uentorū motum hanc tēpestatē fuisse cōcitātā, planè colligētes, ob alicuius delictum usq; adeo incruduisse procellosi maris tēpestatē. Sed et lonas ipse nō ignorabat de suo capite agi comitia-

Et

Et timuerūt nautæ, & clamabant  
unusquisq; ad Deum suum, & ia-  
ctum fecerunt &c.

Hic uerum esse uidemus, quod scripsit Paulus Ro-  
ma. 1. Deum cognitum esse inter gentes, hoc est, nul-  
lam gentem adeo esse incultam, effera, & barba-  
ram, quæ non aliquam diuinitatis cognitionē habeat,  
ipsamq; rationem naturali quodam ductu diuinitatē,  
ut rem præ cæteris omnibus longe maximam, & pō-  
tentissimam certo cognoscere. Cuius rei confir-  
mationem inde sumimus, quod hic nautæ, & alij  
qui cum essent gentiles, tamen Deum ardentibus uo-  
tis implorant. Quod si enim de Deo aut numine ni-  
hil habuissent certi compertum, quomodo eundem  
implorassent aut inelamassent? Quanquam uero re-  
cta, & sincera fide in Deum non crediderint sic  
tamen de Deo eiusq; essentia sensisse certo liquet,  
quæ auxilio esse queat, terra mariq; laborantibus,  
denique in omnibus difficultatibus. Eiusmodi in-  
quam lux diuinitatisq; cognitio omnium hominum  
pectoribus insita est, quæ nullo modo eradi aut ex-  
tingui potest. Fuere quidem nonnulli, quales  
erant apud Græcos, Epicuræ sectæ Philosophi,  
& apud Latinos Plinius, qui hoc ore negauerint,

Dei cognitio  
naturalis.

COMMENTARIUS

Quid tamen aduersus animi sui sententiam fecere, dum huic naturali lumini tenebras inducere per uim conati sunt, non secus atq; illi, qui ultro aures obstruunt, aut oculos claudunt, ne quid uideant aut audiant. Verum hac negandi pertinacia parum promouent, reluctante atq; reclamante illorum conscientia. Neq; enim uerisimile est, aut credibile mentiri Paulū, affirmantem Deum illis reuelasse, ut aliquid de Deo cognitionis certissime habeant.

Ratio quid de Deo sentiat.

*Solus deus qui  
pro omni bono*

Prōinde, & nos naturæ rationisq; ductu, hic discamus, quid de Deo sentiendum sit. Eam uero existimationem nauas de Deo obtinuisse constat, ut putarent eum talem esse, qui in omnibus rebus dubijs, & asperis præsentem opem ferre possit afflictis. Ex quo & illud consequitur, naturalem rationem non posse non fateri, omnium bonorum authorem esse Deum, & ab eodem omnia bona demitti cœlitus. Cui enim promptum est è malis, & aduersitatibus liberare miseros, eidem etiam integrum est fortunam omniumq; rerum fœlicem, & uberem copiam egentibus obfundere. Atq; huc usq; naturalis intellectus suo lumine potest pertingere, Deum uidelicet esse benignum, clementem, propitium, misericordem, ad auxiliandum, & largiendum propensum, atq; hoc quidem haud uulgare lumen est. Sunt tamen duo quorum inopia

*opia laborat, atq; imminutū est. PRIMVM, quā Ratio planē  
 quam naturalis ratio constanter credat Deum posse diffidit Deo.  
 opitulari aduersa fortuna laborantibus, posse largiri  
 nudis & egentibus, eo tamē opitulandi, & largiēdi  
 animo Deum quoq; erga ipsam propensum esse, nul  
 lo modo credere potest, quamobrem in suo proposti  
 to firmiter, & immutabiliter non persistit. Potentiam  
 quidem Dei planē credit & fatetur: quod autem  
 uelit auxilio esse, ibi desperatione debilitata, deficit,  
 cum contrariū asperis casibus iactata persentiat. Atq;  
 eius quidem rei abunde documento sunt hic nauæ,  
 qui, & si ad Deum ardentem clament, quo planē fa  
 tentur subueniendi facultatem illi in manu esse, si mo  
 do uelit, nec illud negant alios non raro prompte à  
 Deo subleuatos esse auxilio atq; etiamnum subleuari,  
 sed quod illis hoc idem certa spe sit expectandum, hic  
 uero nutantes hæsitant, hic deficiunt, nec unquam al  
 tius peruenire possunt. Siquidem omnia experiuntur,  
 nihil intentatum relinquentes, summamq; nauantes  
 operam. In tanto rerum discrimine liberi arbitrij ui  
 res succumbunt planissime. Neq; enim credunt nau  
 tæ, Deum quoq; illis uelle ferre suppetias. Quod si  
 enim hac certa spe credidissent, non ita trepidarent,  
 nec ullarum rerū iacturā fecissent. Sed nec ad Ionam  
 cucurrissent imperaturi, ut & ipse Deum suum inclu*

C O M M E N T A R I V S

mare. Sed quieti, ocioso animo diuinum auxiliū patienter expectassent. Et hac quidem ratione, propter illorum fidem, impetuosi maris aestus fuisse mox sedatus. Hinc uidemus ea fide esse peropus, quæ nihil addubitet Deum nedum alijs, uerumetiam mihi uel esse fauentem, & propitium. Et hæc tandem uera atq; uiuida fides est, nec minus ingens, opulētum, & mirabile spiritus sancti donum, quemadmodū in Iona spectabimus.

S E C V N D V M, in quo ratio naturalis imminuta est, quod diuinitatem nequeat recte dispensare aut applicare, cui proprie tribuenda sit. Nouit pro certo Deū esse. Porro quis ille sit, qui uerus Deus recte dicendus sit, illud nescit. Nec aliter cum illa agitur, quàm cum Iudæis actum est, quo tempore Christus in terris uersabatur, Iohannis quoq; testimonio celebratus, quod is esset, qui Iudæis in lege promissus, & expectandus erat. Illorum equidem corda, tunc ita fuisse animata certum est, quod nihil hæsitauerint Christum esse inter eos, atq; alicubi in turba uersari. Cæterum quis esset præ cæteris, uehementer addubitabant, nam Iesum Nazarenum esse illum Christum, nemini in mentem ueniebat unquā. Non secus quoque ratio cum Deo ludit, & hallucinatur, nec unquam ad uerum scopum collimat, identidem illud

IN IONAM

illud nominando Deum, quod Deus non est. Edē uerso, illud, Deum esse non credendo, quod uere Deus est, quorum neutrum faceret, si non certo compertum haberet Deum esse, aut certa esset, quidnam Deus esset. Quo circa imprudenter atque improuide, huic sepe numero diuinum nomen atq; honorem desert, Deum appellans, quod illi Deus esse uidetur. Et sic quidem semper à uero Deo aberrat, aut Diabolum numen aestimando, aut suam opinionem ingestam à Diabolo. Quamobrem maxima discrimine hæc duo sciuncta sunt, nosse Deum esse, & perspectum habere quis Deus sit. Primum nature cognitum est etiam, quod quidem in omnium hominum pectoribus (ut supra dixi) scriptum atq; infixum est. secundum spiritu sancto magistro tantum discitur.

Cuius rei exemplum perspicuum oculis tuis subijciam. Papista, & religiosi primum in hanc scenam Papistarū opī mihi producendi sunt, quibus ea est de Deo opī nio de Deo. ut putent Deum ita affectum esse, qui bonis operibus moueatur aut contentus sit. Hinc tot uuendi status, conditiones, ordines, & sectas excogitauerunt, quibus Deo unice sese seruire confidunt, & multum gratificari. Nunc uero hoc mihi responde, si nullus Deus esset ita affectus aut animatus, hoc



COMMENTARIUS

Iusticiarij nõ  
cognoscunt  
Deum.

hoc est, qui talium hominũ cultu caperetur, quid eius  
modi sic peruerse religiosi pro Deo colerent? Nonne  
suam ipsorum falsam opinionem pro Deo colerent?  
Neq; enim reuera ullus Deus ita est affectus, quẽ ta-  
lia caperent. Itaq; scæde et impie hac sua peruersa opi-  
nionẽ hallucinantes toto cælo, quod aiunt, à Dei ue-  
ri cognitione aberrant, neque quicq; hic manet reli-  
quum, quàm illorum falsa opinio, quæ illorum Deus  
est, cui & nomen & honorem Dei plane tribuunt.  
Porro sub hac falsa opinione præter Diabolum delite-  
scit nihil, cuius instinctu, hæc in hominum cordibus  
nascitur opinio. Proinde falsam, & uanam hanc  
suam persuasionem colunt uicẽ ueri numinis, estq;  
prorsus illorum idolum, & imago Diaboli in cordi-  
bus illorum. Siquidem ille tandem uerus & unicus  
est Deus, qui non operibus, sed fide indubitata ex  
puro corde colitur, qui suam gratiam suaq; bona gra-  
tuito, citra opera & meritorũ respectum donat &  
largitur, id quod illi Iusticiarij nullo modo credere pos-  
sunt. Quamobrem nec nouerunt illum, & hoc est  
quod illis in Deo uero colendo hallucinandi præ-  
stat occasionem.

Ex hoc liquido intelligis, unde omnis idololatria ma-  
narit aut sumpserit originẽ, & quamobrẽ non iniu-  
ria Idolũ aut superstitio aut idololatria dicta sit, haud  
dubie

dubie propterea, quod hac falsa persuasione longe  
lateq; à Deo, aq; uero Dei cultu seducamur. Imò ue  
ro hoc demum Idololum est atq; superstitio, cuius du- Abegot -  
Abeglauben.  
ctu, & opera à Deo ad Diabolum detrudimur. Cum  
enim quisq; aliquid apud animum suū concipit, quod  
illi uisum fuerit factu optimū, credens plane Deo pla  
cere, estq; in ea opinione Deum hoc esse animo, cum  
tamen adhuc modum nō sit affectus, nec illi hic cul  
tus arrideat, fit, ut tot passim suppullulent oriaturq;  
idololatriæ, quot opiniones sunt in animis hominum,  
quæ in hoc concipimus aut statumus, ut Deo pla  
ceant, præter unicam illam, & ueram opinionē fi  
dei, quam spiritu sancto donante fideles accipiunt.  
Ad hūc modum tempore Achab regis emergebat Ido  
lum Baal. Siquidem rex cum sciret Deum esse, per  
suadebat sibi eundem hunc esse, cui placuisset ritus  
colendi, quem ipse rex proposuerat. Et sic quidē uo  
cavit Deum Baal, & contra Baal Deum, id quod ex  
Hosea Capit. 2. liquet. Quinetiam rex Ieroboam, ar  
bitratur hunc esse Deum, cui arrisisset cultus, quem  
coram uitulis aureis peragebant. Et ita uocabantur  
uituli Deus Israël, & contra, Deus obtinebat nomē  
uitulorum. Non secus ac si nostro tempore Christus  
uocaretur cucullarum aut rasorū amator, & propter  
ea quod in ea opinione maxima pars hominum est,

COMMENTARIUS

Idololatriæ

N

eiusmodi Deum esse Christum, qui cucullis, & rasis uerticibus ualde faueat, ac nimum eius generis cultu capiatur. Quam de Deo opinionem haud dubie Monachi, & Sacerdotes obtinent. Verum enim uero Idololum est, & superstitio uanissima, & merum genuinae Idololatriæ seminarium. Ita uidemus Idolorum non esse numerum. Quotquot enim in mundo hominum sunt opiniones, de Deo falso sentiētium, aliudque statuētium quod Deo placeat, præter fidem in Christum, tot etiam (ut dictum est) idololatrias esse quis negabit? Quia uero eiusmodi Deus nusquam est, qui tali cultu ualde tangatur, sit, ut tantum Diabolum, & non Deum hac ratione colant.

Ita quoque uides hic eos omnes qui sunt in nauis, de Deo quandam habere cognitionem, sed nullum tamen certum Deum, in quem fiduciam suam collocent. Vnusquisque enim (inquit) suum inuocabat Deum, hoc est, suam opinionem, aut illud, quod sibi Deus uidebatur in animo suo. Quamobrem omnes in uero Deo cognoscendo, atque colendo cæcutiebant, colentes mera Idola nominis diuini prætextu uelata. Hinc quoque illorum fidem insynceram, & superstitiosam fuisse apparet, quæ nihil illos uiuare poterat. Neque enim succurrebat illis eorum Deus, sed in rebus dubijs, & asperis iactatos deserit neque quam inuocantes, ita, ut prorsus desperet expectatione  
de

I N I O N A M

desiderioq; ferēdi auxiliij, fracti atq; uicti, ut ignorēt  
etiā omnino, ubi sit inueniendus ille Deus, qui presentē  
ope illas iuuet atq; firmet. Descēdūtq; a lonā dormiē-  
tem, quē à sommo excitatum iubēt, ut ipse suū quoq;  
Deū imploret, an prāter illorum Deū esset alius qui-  
spiam, qui subueniret laborātibus. Prōinde hic clare  
perspicis, quā non subsistat falsa & fucata fides in  
aduersis, sed fumi in morē euanescit atq; dilabitur,  
adeo ut nec Deus, nec fides, nec idolū, nec supersti-  
tio mancāt, mera remanēte desperatione. Quo circa  
tantūmodo Deus uiuus, et unus hoc nomine, & titu-  
lo dignus est, ut sit seruator, et adiutor in oportunita-  
tibus, Psal. 10. et 45. Alibi quoq; passim per scripturā  
ita celebratus. Ipse enim ē tribulationibus, & diffi-  
cultatibus eripiēdi potestatem habet, Psal. 67.

Quapropter, & illud hic haud obscure animaduer-  
tis, quā hūiles deiectoq; animo fuerint in nauī ho-  
mines, dū ad lonā, furētibus procellis, opē quā suū cur-  
sitant, quē placido, & trāquillo pelago negligebant.  
Quē etiā, si prius cognouisset, ē iudaeis fuisse orūdū,  
extreme quoq; cōtempisset, ueluti gētiles parū equi-  
fuerāt iudaeis. tam uero incrudescēte atq; inualescēte  
tempestate, idoloq; illorū nullū auxiliū ferente, quā  
deiectis cristis, illorum superciliosum superbumq; sa-  
stidū unice exhilaratur, superstite adhuc esse Ionam

COMMENTARIVS

**Fucatae fidei** **natura-** **lis & uiribus.** Atq; hæc quidem fucata, & adulterinae fidei perpetua natura est, donec res sunt secundæ, immodico fastu turget, etiam aduersus Deum, & omne quicquid dicitur numen procax, & petulans, estq; tantæ cæcitatæ & duritiei, ut incudis etiam duritiem superet. Vbi uero ingruentibus procellis desperatione uicta, cœperit deficere & trepidare, tum nihil neq; in cœlis neq; in terris dicas aut inuenias metuculosius aut angustioris animi, adeo, ut in muris aut scarabei quoq; antrum non inuita proreperet, & spatiosus mundus illi etiam nimis angustus uideatur. Deniq; ab amicis & inimicis, à contemptis iuxta ac laudatis gratanter opem, & consilium quæreret atque susciperet.

Porro Ionas interea loci in interiore parte nauis profundo somno correptus, dormiebat, parum sollicitus de concitata tempestatis periculo. Et hic quidem somnus, nō male letalis dici poterat, qui Ionæ fuit ultimus, quenq; atroci morte breui esset commutatus. Verum sic cum peccatoribus semper agitur, & Deus serè erga peccatores ita se exhibet, qualiter etiam Ionam. Ille enim grauitè in Deum peccauerat. Quia uero sentit Deum tacite conuientem, & cun-

Etan

stantem uindictam, nec peccato statim obnitentem,  
 fit, ut peccatum pro ingenio, & natura sua hominem  
 excoculet atq; induret, ut timore posito, securus fiat,  
 in utramuis (quod aiunt) aurem dormiens, nec uideat  
 aut sentit cuiusmodi tempestas parata sit, aut quale  
 periculum, & infortunium capiti suo immineat,  
 quo crudeliter excitandus est. Interea Deus quoque  
 peccati se oblitum esse simulat, dum non maturat ul-  
 tionem faciendi periculi gratia, quid nam facturi sint  
 filij hominum, num cogitent resipiscere acta delicto-  
 rum pœnitentia, quemadmodum inquit Psalmus deci-  
 mus, Palpebræ Domini tentabunt filios hominum.  
 Verum hæc frustra sunt, hic nulla est resipiscentia,  
 aut delictorum cogitatio. Dormuisset perpetuo Io-  
 nas, nec unquam sua peccata reuocasset in memoriã,  
 si Deus illa quoq; dissimulasset. Atq; hoc per Ionam  
 hic significatum est, in medijs tēpestatibus adeo pro-  
 funde dormientē, adhæc in interioribus nauis, ac si  
 diceret, Prorsus excæcatus atq; induratus est, immo  
 sepultus iacet in fundo cordis pœnitere nescij, perpe-  
 tuo quoq; in ea cæcitate permaneret, periretq;. Quis-  
 pe peccati perdita malitia non permittit, ut ulla in ho-  
 mine uis aut uirtus ad bonum se erigat aut cōmoueat,  
 libero arbitrio aut ratione presente nec ne. Hic enim  
 iacet Ionas alte stertens in peccatis suis, nec audiens

Somnus Ionæ  
 quid?

E

COMMENTARIUS

nec uidens quenquam, nec sentiens quid ira stoma-  
chantis Dei in eum molita sit aut statuerit.

Poenitentiae  
exemplum.

Cæterū à nauclero iam excitatus, iussusq; ut Deū  
suum imploret, tum uero mox alia turba oritur. Hic  
primum fit certior, quàm Deus eum insequutus sit  
iudice oculo, quàm suorum peccatorum non sit ob-  
litus. Incrudescitq; perturbata conscientia carnifici-  
na, reuerso & uiuificato peccato. Atq; hic pecca-  
tum mortis stimulus factus est, ponens ob oculum di-  
uini furoris excandescentiam, & iam trepidanti, &  
male conscio non solum nauis, uerū etiam uniuersū  
di amplitudo, nimis angusta uisa est, dum longe maio-  
re, quàm ullus alius timore exanimatus est, tantum ab-  
sit ut Deum implorasset. Sentit enim haud dubie, teste  
atque incusante conscientia, hanc tempestatem pro-  
pter se concitatā esse, & imminere illi præsens exi-  
tium, nec esse relictā elabendi uiam. Quàm uero  
humilem, & delectum hic fuisse Ionam credibile est,  
dum cæteros omnes, qui in eadem nauī erant, iustos  
& innocentes esse pronunciat, nec ullius peccatum  
nisi suum illius, obuersatur oculis. Ad hunc quippe  
modū facit poenitentia ubi uenerit, & conscientiam  
non morderit atq; perterrefecerit, dū uero totus mun-  
dus iustus est, ipse uero solus peccator. Ipse quoq;  
Deus reliquis omnibus propitius esse uidetur, illi soli

*solus ionas peccator  
in nauī.*

IN IONAM

irasci. Neq; hic quenquam ira diuina tangit, quam  
 ipsum solum, estimantem aliam non esse iracundiam,  
 nisi quam ipse aut sentit aut uidet, reputatq; se om-  
 nium mortalium longe esse miserrimum atque cala-  
 mitosissimum. Non secus Deus cum Adamo, & uxo-  
 re sua egit ubi peccassent, qui nisi uenisset deficien-  
 te diei aestu, nunquam peccatum agnouissent. Vbi  
 uero uenerat, prorepentes se absconderunt. Ita quo-  
 que de Petro, ubi Christum ter abnegauerat, actum  
 erat, non sentiebat peccatum, sed & ipse cum Iona  
 in nauis stertebat, eratq; plane mortuus, donec intui-  
 tus est illi Christus, ibi uero ad se reuersus fleuit ama-  
 re. Tale hic habemus exemplum, quo perspicuum fit om-  
 nibus quae natura sit peccati, quaeq; hominis animum ex-  
 cecare soleat, quamq; peccatore pertinacem omniumq;  
 sensuum expertem, & prorsus mortuum reddat, ita ut  
 neq; se ipsum nec, Deum sentiat, adeo ut securus, et octo-  
 so animo etate exigat, donec Deus uenerit, illumq; a pro-  
 fundo somno peccati excitauerit, ut illa uana, & sa-  
 stuosa liberi arbitrij iactantia funditus corruat.

*Gen. 3.*

*Luc. 22.*

*Quis sit ma-  
ra ptn.*

*In salum meo  
nulla uis liber-  
arbitrij*

Cum itaq; Ionas iam experrectus a Deo nullum  
 auxilium postulat, sed trepidus iram Dei exhorrescit,  
 luctaturq; cum morte, a qua omni momento erat de-  
 uorandus. Sed & homines nequicq; suorum Deorum  
 opem implorauerant, omnibus frustra tentatis, neq;



COMMENTARIUS

Ionæ obscurum erat, tantarum turbarum atq; tempe-  
 statum se adeo solum esse causam, tantæ tamen pro-  
 bitatis non est, ut ingenue & aperte sua delicta fa-  
 teretur, sed relinquit miseros homines in mœrore,  
 & trepidatione periculo expositos, donec Deus per  
 uim illi extorquet delictorū confessionem, per sortem  
 conuictio. Et hæc quoq; una ex egregijs illis uirtuti-  
 bus est peccatum comitantibus, quod homines reddat  
 elingues, & mutos, conatuos sese dissimulatis ne-

Arduū est se-uis & maculis abscondere, dum nimium sunt hone-  
 ipsum accusa-  
 re. statis, & probitatis peruerse cupidi, non libèter pa-  
 tiuntur pudore suffundi. Sicut Adam & Eua peri-  
 zomatis sese contegebant, nolētēs, quod admiserant,  
 ultro confiteri. Arduū est, et graue factu, ut aliquis  
 suum ipsius dedecus, & ulcera detegat, seq; ipsum  
 pudefactum manifestatis admissis hominum contume-  
 liae famæq; obiectet. Atqui ita faciendum est, alio-  
 qui nec pacem nec requiem habituri, id quod testatur  
 Psal. 32. Cum tacui inueterauerunt ossa mea præ ru-  
 gitu meo diurno. Ita quoq; Deus filias Israël sua or-  
 namenta ante montem Sinai iubebat deponere. Exo-  
 di. 34. Et hoc demum uere dicitur sacco conuestiri,  
 inq; cinere sedere, seipsum coram Deo exinanire,  
 atq; etiam uolente Deo coram hominibus. Cū enim  
 Ionas suo peccato homines in periculum, & perni-  
 ciam

Sacco cōuesti-  
 ri quid.

IN IONAM

clēm induxerit, equū est, ut & ipse contra damnum  
& contumeliā in se accipiat, amissōq; honore pro-  
prio se ipsum alijs culpandum propinet, ceterosq; iu-  
stos, & innocentes declaret, & se, pronunciata cru-  
deli sententiā reum mortis condemnet, in pelagum e-  
naui præcipitandum. Ita uitæ propriæ dispendio red-  
dit & luit, quicquid in proximum grauissime deliquit.  
Induxerat miseros, & inuitos in uitæ pericu-  
lum, illi uero ipsum suomet cōdemnatum iudicio, in-  
uiti quoq; in mortē conijciūt. Et hoc, nisi fallor, dure  
& rigide, adhæc etiā iuste iudicatū esse recte dicitur.

Et dixit unusquisq; ad collegam  
suum, uenite & mittamus sortes ut  
sciamus quare hoc malum sit no-  
bis &c.

Cum nemo hic sit in tanto numero qui ultro cōsi-  
teri sustineat, quanquā certo persuasum habebant  
unius alicuius peccato, tam inuisitata tēpestatis pro-  
cellas fuisse concitatas, nec illud humano iudicio discu-  
ti poterat, nec quispiam aperto testimonio conuince-  
batur, certatim ad iudicium Dei curritur, quæren-  
tes ex Deo, missis sortibus sententiā. Quā uero pu-  
tatis hic cor Ionæ palpitasse, aut trepidasse, aut sorte-

COMMENTARIUS

tergiuersando subterfugisse, qui male cōscientiæ mos est, quæ folij quoq; rei nimirū leuissimæ, strepitu terretur. Tot mortes perferendæ sunt calamitosa lonæ, nec elabendi rima patet, quo minus post non absorbeatur in totum. Tantum calamitatis, & doloris secum aduehit peccatum, quod de industria celamus, quodq; fateri grauamur, & tamen postea quælibet studiose celatum, duplici dispendio satendum est. Verum ea peccati est natura, cuius ductu ita impellimur, ut aliter facere nequeamus, non uult nec potest se ipsum detegere. Quisq; enim corā hominibus iustus, & purus esse cōtendit, tamen si clam ab a sca peccati semel degustata abstinere nolit. Inde fit ut, postremum ab alijs sua retegantur facinora, uia & fame iactura turpiter accepta. Nam uulnera nisi retegantur sanari non possunt, nec peccata condonationem mereantur, nisi eadem ex animo aperta confessione coram Deo detestabimur.

*Sorte*  
 Num peccent hic homines peccarint mittēdo sortē, cum pleriq; cō-  
 sortilegi. tendant sortiendi rationē esse interdictā, quippe qua  
 Deus tentetur. Sed & lonæ unā sortiendū fuit, quā-  
 obrem, & peccati eundē participem fuisse planē fa-  
 tendum est, si mittendo sortem peccauerint. Ad hæc  
 principio quidē ita respōsum uolo, esse uidelicet ple-  
 raq;

raq; opera, quibus, & bene, & male uti possumus.  
 Eius generis est quod Christus uetuerit nō iurandum  
 esse omnino, Matth. 5. et tamen nihilo secus diuinū ius  
 iurandum fieri potest. Ita quoq; ne irascamur, ne quē  
 occidamus, pari ratione uetūtū est. Et tamen recte fit,  
 & iuste, si de facinorosis, publico iudicio cōdemnatis  
 sumatur supplicium. Quamobrem in eiusmodi operi-  
 bus spectanda est animi sententia, adeo ut qui ea te-  
 mere, & uoluptate quadam peruersa adductus fece-  
 rit, semper peccet. Qui uero ijsdem, iussus utq; Deo  
 in hoc morem gerat, usus fuerit, aut ob necessitatem  
 & officium proximi, bene facit. Itaq; quicumq; hęc  
 citra mandatum Dei aut commodū proximi, sed me-  
 ra uoluptate aut animi lenitate fecerit, hunc miſsum  
 faciemus. Talis enim peruerſe et improbe agit, etiāſi  
 cottidie flexis genibus, aliquot psalmodiū modios proli-  
 xe orādo demurmuret, adhęc diurna fame ad mor-  
 tem usq; semet maceraret, immo etiāſi prodigijs, &  
 miraculis clarus haberetur. Quo circa uniuscuiusq;  
 cōſciētię hęc recte obseruāda demādamus, siquidē  
 fieri nō potest, ut eius cor queamus perspicere aut iudi-  
 care. Quod, si nūc mittēdę sortis ratio eiusmodi opus  
 est, parū referre arbitror, si nautę unā cum Iona per  
 hoc peccauerint, quippe qui fuerint increduli, et alia  
 illorū opera Deo, ut parū grata aut accepta extremo

COMMENTARIUS

Sortes

fordebant, donec iam fuissent conuersi, ut sequitur  
 SECUNDO, plane fateor mihi nōdū pro certo  
 cōpertū esse sortis mittendæ opus esse uetitum. Illud  
 equidem prohibitum esse non diffitebor, Deum non  
 esse tentandum, uerum eniuero sortiri, & tenta-  
 re Deum, opera sunt multum inter se diuersa. Siqui-  
 dem, & Apostolos Actorum primo sortitos esse le-  
 gimus in eligendo Matthia. Ipse quoq; Solomon scri-  
 bit Prouerb. 16. in sinum quidem deiici sortes, à Deo  
 tamen iudicium earum proficisci, quibus equidē uer-  
 bis sortem non reprobat, sed multo magis confirmat.  
 Tametsi quidam sunt ex Patribus, docētes, talia non  
 esse imitanda exempla, quod quidem citra scripture  
 testimonium temere affirmant. Quantum ego con-  
 iectura assequor, planè in ea sum opinione, ut putem  
 sortiendi usum, opus esse prorsus sinceræ fidei, quo  
 tamen nonnulli curiose, & perperam abutuntur, ue-  
 lut gladio & iureiurando. Hæc tamen culpa non in  
 opus, sed in personā temere abutentem, conferenda  
 est, ut supra diximus. Atqui nec illud probant, sor-  
 tiendi usum esse à Deo prohibitum. Hoc enim est ten-  
 tasse Deum, Deo curiose citraq; necessitatem præsi-  
 gere metam, horam, locum, modum, personam,  
 rationem, hoc aut illud statuendi, faciendi, omitten-  
 di, ita, ut perspicaci miraculo notetur. Quemadmo-  
 dum

dum Iudaei, qui ad praescriptum tempus exigebat cibum, & potum, nec illius bonitati benignitatiq; fidebant. Non secus quoq; illi Iudaei apud Matth. 9. certum e coelo signum postulabant, prout illis optimum factu uidebatur. Caterum in mittenda sorte huiusmodi non subest tentatio, sed in hac duo aut etiam plures ubi consenserint inuito pacto ob unam aliquam rem, ita aut secus decernendam, ueluti mittendae sortis rationem multiplicem esse uidemus, nullam certam personam praescribunt, sed omnia Deo commendant super quemcunq; tandem sors ceciderit. Proinde prius ultro couenerunt, ita, ut cuiuscunq; sors foeliciter cesserit, ille fiet, tanquam a Deo ordinatus.

Atqui nec illud facile negabimus, sortem etiam sine Dei respectu mitti posse, uelut gentiles non credentes a Deo sortem proficisci, sed fortunae omnia tribuentes, id quod in ludo tesserarum alijsq; a fortuna pendentibus lusibus usuuere solet. Magis tamen Christianos decet non ita libera mittendae sortis ratio, sed credere debent Deum quoq; sortis, & fortunae magistrum esse, nec ullo modo dubitare a Deo omnia dari atque auferri, quaecunq; tandem per sortem dantur aut auferuntur. Nec alia ferè ratione iusiurandum damus atq; accipimus, quod credimus Deum praesto esse, qui iusiurandum accipiat, & iuxta illud unumquodq; iudicet.

COMMENTARIUS

Cum uero illi iudicandi rationem non præscribamus, sed securi cuncta illi commendamus, haud quæ tentamus Deum, ita iuramentum dantes aut accipientes. Ad hunc modum sortiendo cum nullum certum illi statuimus, cui fors sit danda, sed eius fauori integrum relinquimus cuiuscumque tribuerit, tentationem dicere non possumus. Sed bonum opus quantum ad se, & ubi in fide sit, etiã diuini operis nomen meretur, quod illius honori augendo cumulandoque factum est. Quicquid enim per sortem alicui obuenerit, illud suum est, quod qui per uim ab illo abstulerit, latro est, & aduersus Deum peccat. Et quid aliud esse potest fors, quam nonnullorum fœdus super re aliqua inutum, quam periculo exponimus quicumque tandem ea potiatur. Nihil hic est iniuriæ, nihil iniqui, nisi amica quædam conuentio, alicuius rei aut habendæ aut carendæ, utcumque tandem fors in urnam iniecta ceciderit. Nisi quod Christiani præter gentiles, hoc etiam adiungunt loco auctarij, qui cum credunt Deo auctore omnia agi atque fieri, etiam illud certo persuasum habent, Deum sortis quoque temperatorem esse, quod gentiles aut non credunt, aut certe negligunt. Quid autem si eius generis fors esset, qua quis ad mortem deposceretur eique peccata per eam quæsitâ proderentur? Sicut Ionæ hic accidit, & Saul cum Ionatha filio suo, & Iosue cum Achab  
 fece

IN IONAM

fecerat, Iosue. 7. Respōdeo, gentiles posse sortiri pro  
 morte lucenda seu uita retinenda, serio seu animi le-  
 uitate ad hoc adducti. Quid enim ad nos attinet,  
 quid illi faciāt, qui nihil æqui faciunt? Neq; uero se-  
 cum adfert sors, quantum ad se attinet, ut aliquem  
 occidamus, sed neq; Christiani ad hunc modum inter  
 se sortiuntur. Quandoquidē, & illud hic animaduer-  
 tis, quod ne illi quidem qui erant in nauī cogitauerint  
 aut statuerint Ionā perimere, sed tantūmodo inspera-  
 tæ tempestatis causā quærebant, ut ea sublata ena-  
 uigarent incolumes. Sed ne iusti quidem sustinebant  
 Ionam occidere, uerū conabantur manibus pedibusq;  
 ad littus appellendo eum seruare. Vbi uero uident co-  
 natus suos frustra esse, cognoscebāt planē Dei quoq;  
 uoluntatē esse, sicut Ionas prædixerat. Coacti itaq; ne-  
 cessitate, duro telo, Ionā in pelagus præcipitāt, accura-  
 te tamē prius deprecata culpa etc. Ipse quoq; rex Saul  
 nō uulgariter in hoc deliquerat, qd' Ionathā filiū per  
 sortē proditū, ad mortē rapi iubebat. Neq; uero eo us-  
 que sortis mittēdæ licētia admittēda erat. Cur enim ij  
 inuito fœdere culpæ retēgēdæ gratia nō sortirētur, ut  
 autor culpæ proderetur, quæ sors tetigisset? Cū summa  
 omēs urgeret necessitas alios seruādi. Cūq; ea sit equi-  
 tate Deus, qui sortē errare nō patiatur. Quēadmodū  
 illi à culpa sunt immunes, qui iurātē opinātur nō peie-  
 rasse,



COMMENTARIUS

rasse, cum perfidus & in culpa esse possit. Verum  
de his iam satis superq; dictum est.

**Ego sum hebræus, & Deum coeli  
timeo, qui fecit mare, & aridã &c.**

Typos deplora-  
tae cōscien-  
tia.

Hic tandem erumpit confessio, in lucem efferens  
peccatum. Sed & atrox illud inter Ionã, & mortem  
certamẽ exurgit, etsi quod maximum erat & durissi-  
mum iam perpeffus sit. Quanquã enim Ionas hinc  
atq; hinc, tum ab ira diuina tum morte uehementissi-  
me premebatur, ipsum tamen cor aliquanto lenius sa-  
ctum est, excusa graui peccatorum sarcina, ipsaq;  
conscientia peccatorum confessione paulo laxior sa-  
cta est. Quinetiam ipsa fides tametsi ualde infirma  
priors amoris, & spei flammã incipit concipere.  
Siquidem uerissimum cœlorum, ac terræ opificem om-  
niumq; adeo rerum conditorem planè confitetur,  
quod quidem haud quaquam uulgare est, & fidei &  
perpetuæ felicitatis exordium. Homo nanq; con-  
sciẽtiã prorsus deploratã, sic pleno ore peccatũ fate-  
ri nõ potest, sed pertinaciter obmutescit, aut blasphemã  
lingua in Deum impie debacchatur, nec aliam de  
Deo opinionem aut fiduciam in animo concipit, aut  
aliter de illo loquitur, quã quod de crudelissimo ty-  
ranno aut Diabolo loqui, & cogitare pro more suo  
soli

I N I O N A M

solitus est, uelutq; libenter arrepta fuga longe lateq;  
ab eius conspectu discedere. Imò potius hoc præopta-  
ret, nūquam prorsus esse Deum, ne illa sibi forent ab eo  
perferenda. Sed & confessionis obliuiscitur, nec in-  
genue quod turpiter, & flagitiose admiserat, fate-  
tur, adeo in omni angustia, absorptus atq; induratus  
est, ut præter angustiam nil neq; sentiat nec uideat am-  
plius, unum hoc cogitans, qui eadem ex humeris suis  
commode queat excutere, etsi omnes excutiendi co-  
natus uideat frustra sumi, quandiu peccatum reti-  
nuerit. Inde fit, ut perpetuo, & in peccatis, & in  
morte absorpto pereundum sit.

Quare omnium primum illud discimus quæ tan-  
dem uera, & compendiosa sit uia ex omnibus diffi-  
cultatibus, & angustijs emergendi, nimirum, ut præ  
omnibus peccati habita ratione, illud actutum libera  
confessione ingenue fateamur, qua quidem ratione  
ilico difficultatis, & angustie periculū imminuitur. **Quo pacto  
erigēda sit cō-  
scientia.**  
Est enim cum primis auxilium cordi ferendum, quo  
subleuato, totum corpus melius habebit, faciliusq; cu-  
rabitur. Ita quoq; hominis primum conscientia à suo  
pondere exoneranda est, qua curata, reliquæ difficul-  
tates deponentur cōmodius. In eiusmodi nāq;  
rerum discrimine, adueniente diuina iracundia, sem-  
per peccatū angustia comite præsto est. Iam ubi sunt

COMMENTARIUS

homines parum cordati, ei rei ordine præpostero se applicant, cū uidelicet relicto peccato saltem in angustiam oculos habent intentos, cogitantes sedulo, quānam ab illa liberari queant. Et hac quidem inutili cogitatione dum parum promouent, desperatione debilitati succumbunt. Ad hunc itaque modum omni humana facit ratio, quæ gratiæ, & spiritui non nutur. Vbi uero homines sunt cordati, illi longe aliter huic rei semet attemperant, nimirum uersis ab angustia sensibus peccatum cōtemplantur potissimum, ut illud confitendo à se abijciant, & si illis perpetuo in mœrore atq; angustia uersandum sit, ultro se puniendos offerentes, ut hic Ionas facit. Porro omnium impiorum peculiaris hic mos est, ut tantum formidine pœnæ teneantur solliciti, nulla habita ratione peccati, uelintq; libenter nunquā non impune peccare, cuius uoti nunquam compotes fore existimo, præsertim cum peccatum semper quoq; pœnam illi adhaerentem secum adducere soleat. Contra alia est piorum hominum natura, metuentium & curam habentium peccati, pœnam uero negligentium, qui præoptarent potius in pœna esse sine peccato, quā in peccato sine pœna uiuere.

Impij tantum  
pœnā timēt.

Cæterū quod hic Ionas dicit se timere Deum cœli & terræ, ad Hebraici sermonis rationem dictum est.

Dei

IN IONAM

Dei enim cultum, Dei timorē uocant Hebræi, id quod  
 ex Esata manifeste colligitur Capit. 29. Vbi inquit, Cultus Dei. i.  
timor.  
 Timuerunt me mandato hominum, hoc est, putant  
 à se me ualde coli mandatis hominum. Ionas enim  
 hæc duo coniunctim effert, sum Hebræus, Deūq; cœ  
 li, & terræ timeo, etsi ad hanc usque horam Deum  
 contempserit, eiq; minus obsequens extiterit. Pro  
 inde ita uult dicere, Deos quidem alienos nō colo aut  
 honoro, sicut uos, & reliquæ gentes, sed unicum  
 illum, & uerum Deum cœli & terræ conditorem.  
 Atq; hoc nomine Ionæ peccatum, & dedecus tanto  
 erat grauius, cum ipse, qui ueri Dei cultor eiq; san  
 cto populo oriundus extiterat, gentilibus Idola co  
 lentibus, deterior atque flagitiosior reperitur, ut ob  
 sua flagitia gentiles quoq; extreme periclitarentur.  
 Cum tamen aliās multis peccatoribus, ob seruos Dei  
 late sint suppetiæ, ueluti regem Achab, & succes  
 sores eius per Heliam, & Heliscum sæpenumero ad  
 iutum esse legimus. Hic uero omnia sunt inuersa.  
 Illic mali bonorum probitate iuuantur, hic malis bo  
 norum præsentia fraudi est. Et qui optimus fuerat  
 fit deterrimus, & qui primus erat, postremus. Atq;  
 hoc est, quod tãtopere Ionas sua flagitia coràm homi  
 nibus fateri uerebatur. Quippe gentilibus nole  
 bat uideri deterior, tametsi peior esse cõuincebatur.

Tollite me, & mittite in mare, & quiescet mare a uobis, quia noui ego quod propter me fluctus iste magnus contra uos est &c.

*Fidei potētia.* Hic uero in Iona cum primis dignum obseruatu existimo, quanta sit fidei è puro corde profectæ potentia, tum quantū effectū reddere possit. Estq; hic memorabile illud exemplum fidei, de quo supra mentionem fecimus, qualiter omnipotens sit, quanq; in omnibus rebus quamlibet aduersis, & dubijs uictrix palmam occupet. **PRINCIPIO** quidem, peccatum, & culpam omnem in se deriuat, omnes alios innocentes declarās, affirmatq; eius tempestatis procellas sui unius gratia esse concitatas. Qua quidē confessione aliorum testatur innocentiam, se uero peccatorem adeo solum accusat. Itaq; hac una in re charitatis officijs satisfacit, quod in alios iniurius peccauerat exponendo ipsos atroci periculo, id omne sibi unluendum esse pronunciat. Atqui nec eius charitatis prorsus immemores sunt homines, sed prompto animo gratiam student referre, cum nec ipsi eam à Iona requirant pœnitentiam, uelintq; non illibet omnem illi condonare offensam, publica confessione sc̄tenti, summaq; ope nituntur eundem saluū in littus  
expo

IN IONAM

exponere. Atq; ita prorsus charitatē charitate pē-  
 sant, uerū sentiūt omnē auxiliādī operā frustra sumi-  
 SECUNDO, eadem culpa grauem conscien-  
 tiam etiam apud Deum agnoscit, summum dedecus,  
 extreme pudefactus, in sese accipiens. Id quod cor  
 eius efficacissime testatur, se atrocē culpam in Deum  
 iuxta ac homines admisisse. Illud itaq; dedecus, cu-  
 ius gratia quis apud Deum pudore suffunditur, lon-  
 ge maximum est. Neq; enim ullus relinquitur angus-  
 tus aut antrum amplius in omnibus creaturis, sed ne  
 apud inferos quidem restat latibulū, in quo quispiam  
 abditus queat in obscuro delitescere. Sed cogitur, ue-  
 lit nolit, stare in propatulo, omnibus creaturis summo  
 dedecore conspicendus. Id quod haud obscure sen-  
 tiunt ij qui sibi male conscij sunt, ubi illorum cōscien-  
 tia semel recte tacta fuerit. Neq; uero hic Ionas cō-  
 templandus est, ut postea pristino honore recupera-  
 to, ē periculis liberatus, sed qui iam infamia et dedeco-  
 re notabilis sit, nec uideat ullum elabēdi suffugium.  
 Quod si enim aliquam spem emergendi superesse  
 cor hominis alicubi cerneret, moderatius præsensem  
 toleraret infamiam. Porro Deus omnem honorem,  
 & fiduciam ab oculis submouet, nec præter ignomi-  
 niam quicq̄ relinquit reliqui, quod quidem intolera-  
 bilem parit angustiam.

Conscientie  
angor.

F

COMMENTARIUS

Mortis aspectus horren-  
 dus. TERTIO, deinceps decreto quodam naturali,  
 mors & poena, peccatum consequuntur, teste Paulo  
 scribente ad Corinthios. 1. Corinth. 15. Potentia pec-  
 cati lex est, aculeus autem mortis peccatum. Ita Io-  
 nas hic manifeste perspicit, præter amarā mortē su-  
 peresse nihil, ultro semet eius faucibus absumendum  
 offerens, dum ipse de se sententiam pronuntiat, in-  
 quiens, Præcipitate me in pelagus, ac si diceret, ui-  
 deo mihi moriendum esse, alioqui frustra sperabitur  
 tranquillitas. Atq; hic iterum Ionam non ita tibi in-  
 tuendum esse intelligis, ceu hic in historia depictus  
 est. Cum enim præ oculis totam historiam habea-  
 mus subiectam, quemadmodum ex tam immensis ui-  
 tæ periculis liberatus sit, res nobis leuicula esse uide-  
 tur, parumq; pectus nostrum commouet. Illud uero  
 tibi potissimum cōsiderandum est, qui fuerit affectus  
 Ionas in tanto discrimine, ubi omnia præsentem mor-  
 tem intentabant, cuius præter exitium nihil obuersa-  
 batur animo. Qui ne tantillum quidem de se liberan-  
 do sperabat aut cogitabat, sed certissimam mortem à  
 qua iam iam erat deuorandus, coràm obtuebatur. Ita  
 ut omnem uitæ spem abiecerit, seq; ultro morti iugua-  
 landum obtulerit. Quod si enim ita nobiscum Deus  
 ageret, ut ipsam uitam in morte conspiciendam nobis  
 exhiberet, aut animæ nostræ futuræ mansionis locum

com

IN IONAM

commōstraret, quo illi commigrandū esset, nihil pro-  
fecto esset in morte amaritudinis, sed perinde esset ac  
si quis angustum, profundum tamē riuū saltu transmit-  
teret, ubi hinc & hinc certa ripa cōspicitur. Nūc ue-  
ro nihil horū nobis commōstrat Deus, esiq; nobis ab  
huius uitæ portu & littore in abyssum trāsiliēdum,  
ubi nihil uidemus aut sentimus, ubi nullū uadum aut  
ripa est reliqua, sed nobis ex Deo, & eius bonitate  
pendendum est. Quēadmodum hic Ionas ē nauī detur-  
batur in pelagus, ubi nullū sibi uidet portū aut uadū  
sperandū esse, sed omniū creaturarū destitutus auxi-  
lio, in pelago fluctuans, ex sola gratia Dei pendet.  
Q V A R T O, iram Dei in morte quoq; sentit Io-  
nas, præsertim cum intelligat sibi non ex gratia, sed  
iracūdia Dei moriendū esse, illudq; mortis genus pec-  
catis suis commeruisse. Iam uero & ipsa mors tolerā-  
da est, neq; tantū haberet doloris, & acerbitatis, quā  
ira Dei super nos nō adduxit. Sicut usuuenire cōsue-  
uit, quoties quispiā propter gloriā Dei iniuste cōdem-  
natur. Qualiter serē omnes Dei martyres occubue-  
rūt, qui pro certo sciebāt, iniuriā sibi fieri atq; inferri  
ab hominibus. Quāobrē cum bonā corā Deo causā  
obtinērēt, habebāt persuasissimū, Deum aduersus  
illos nō esse ira cōmotum, sed benignū & propitiū.  
Inde illi ipsi mortem quoq; non ex iracūdia, sed Dei



benignitate, & beneplacito profectā & cognitā alacri & magno animo sustinebant. Ceterum ubi mortis per culpam rei facti sumus, & peccatis commemurimus, ibi diuinam quoq; excandescentiam unā commitari necesse est, quæ mortem facit intolerabile, ita ut præter mortem nihil remaneat aut sentiatur.

**Conscientiæ  
sarcina.**

Nunc autem hæc quatuor unumquodq; singulatim accuratius & propius cōsidera, & certo comperies unum ex illis seorsim magnis etiam sanctis haudquāq; facile esse portatu. Porro impijs proorsus intolerabile. Siquidē quis usq; adeo infracto & inuicto est animo, qui ira Dei obrutus, tametsi nō moriatur, lætam mentem obtineat, aut cordis tranquillitatem nō amittat. Quæ quidem nō paucos impios redegit ad insaniam. Ita quoq; quem unq; mortalium uidimus mortem non exhorrentem, & tantum non ad memoriam eius trepidantem, quamuis diuinam iracundiam non sentiat, uelut gentes, seu propitium Deum intelligat, ut sancti homines. Ita quoq; in terris nō est maior & grauior sarcina, quā peccatorum & malæ cōscientiæ. Quis enim illud facile perferet, ut corā Deo & hominibus pudeat? Quis non præoptaret potius mori decies, quā cum dedecore ad hunc modum uiuere? Hæc tamen omnia certatim super miserū hunc & calamitosum Ionā cadunt, per quæ ad desperationem

IN IONAM

nem uehementer impellitur, ut nec gratie diuinae nec  
 fidei tuendae ratione habeat. Quale uero certamen *Lucta Ionae*  
 in corde suo fuisse credendum est, potuisset profecto  
 & ille praeterea tanta animi angustia sanguineas guttas su-  
 dasse. Hic illi pariter aduersus peccata sua, aduer-  
 sus conscientiam suam, & cordis sui sensum, contra  
 mortem & Dei furorem ex aequo pugnandum fuit.

Atque ibi eius anima a tenuissimo filo super orcum eter-  
 namque damnationem suspensa fuit. Magnū opus di-  
 uinae potentiae per hunc ostensum est, quod a fide in *Trag. 3*  
 tantis difficultatibus non defecerit, sed seruatus sit. *Mysterio archa dno*  
*q. no sumus conf*

Quod enim in fide perseuerauerit, argumēto est abū-  
 de sua redemptio. Quādoquidem Deus omnipotens  
 nullū ex impijs è morte, & tantis calamitatibus libe-  
 rare dignatur. Verū ipse quoque cōfiteatur se Dei culto-  
 rem et seruū esse, offerēs semet puniendū, quorum  
 neutrum impios posse certum est, sed in uniuersum  
 omnes in peccatis abiecta (quod autē) hasta, deficiūt.

Præterea ad hæc mala hoc accedit etiā infortunij,  
 quod in mare abijcitur, ubi soli & ab omnibus deser-  
 to moriendum est, nec quēquam præsto uidet, qui se  
 affluctum oratione sua confirmaret, aut consolaretur.  
 Cæterum homines in nau recta abeunt, relinquētes  
 eum in medijs fluctibus, ut certo iam submersum, &  
 perditum. Postremo, ne sic quidem suarum calamitas

C O M M E N T A R I V S

tum ullum finem adesse uidet, nec satis est, ut uno mor-  
tis genere absumatur, sed est adhuc à ceto deglu-  
tiendus. Et hac quidem re Deus uidetur indicare uo-  
luisse, quam crudeliter & implacabiliter in Ionam  
fussset commotus, ut nec ea morte & supplicio, cui  
ultra se puniendum obtulit, satiari potuit, sed nō po-  
tuisse satis immaniter se in eo ulcisci. Neq; uero im-  
manis ceti rictus aliud fuit, quam terribilis quaedam  
imago misero, afflicto & moribundo Ionæ, ubi tam  
ampliter facto hiatu os diductum est, & dentes ob-  
longi acutorum palorum in morem ex ordine stantes  
uisi sunt. Præterea ubi uasti gutturis tenebrosus ab-  
aluus usq; recessus apparuit, Scilicet hoc est in mor-  
te consolari? Hic est amabilis in morte aspectus, non

Magnum fi = satis uidelicet esse mori, aut uno genere leti absumi.  
dei exemplū. Hæc, nisi me omnia fallant, fides est, imò potius cer-  
tamen & pugna fidei. Hic uidemus uictoriam, &  
triumphum sub maxima infirmitate esse absconditum.  
Atq; hic Deus ob oculos nobis posuit, quæ Verbi  
& fidei sit uirtus & potentia, quam omnes creatu-  
re labefactare nequeant, nec ipsius Dei iracūdia ui-  
cere, tametsi omnia extreme furerent. Porro Ionæ  
uniuerso mundo documētum fuit & indicium, quæ  
animum in his procellis obtinuerit, quenq; omni-  
credentes in similibus casibus obtinent, sicut in  
auda

ubi, et omni q' vis  
q' potētia.

audiemus. Quemadmodum enim mare omnibus flu-  
 ctibus Ionā submergere nititur, insuper cetus quoq;  
 iam deuoratum laborat absumere: sic conscientia  
 quoq; meram tempestatem diuinæ persentit iracun-  
 diæ, uultq; prorsus perturbatā animam deglutire cr-  
 cus & æterna damnatio.

Et fuit Ionas in uentre ceti tribus  
 diebus, & tribus noctibus.

Horum, nisi fallor, dierum & noctium spatium fuit  
 longissimum, quod unq; sub sole uidit Ionas. Quod  
 enim uehemēter longum sibi uisum sit tempus ita se-  
 denti & cōcluso in tenebris, admodum credibile est.  
 Opinor quoq; illū alternis quibusdam uicibus nūc ta-  
 cuisse, nunc stetisse, sed nec lunā nec solem aspexisse,  
 aut ullam horā numerare potuisse. Atqui nec hoc sci-  
 re potuit ubi locorū in ceto conclusus per mare uehe-  
 retur. Quoties uero à pulmone, & iecinore duris icti-  
 bus pulsatus est. Quā prodigiosa eius fuit intra uisce-  
 ra & magnas costas habitatio? Vsq; adeo tamē in mor-  
 te captiuus detētus fuit, ut nō multū curæ piscis habue-  
 rit, sed citra intermissionē attente cogitarit in animo,  
 quando tandem eius uitæ finis instaret. O Deum im-  
 mortalem, quā prodigiosum hoc opus fuit? Quis  
 uero satis pro dignitate æstimare poterit, hominem

*Quid passus  
 sit Ionas in  
 ventre ceti*

COMMENTARIUS

tribus diebus & totidem noctibus solitarie sine luce sine cibo, in medio maris, à pisce absorptum uixisse, & iterum in lucem uenisse saluum & reducem? Hæc equidem merito mirabilis, & prodigiorum plena di ci potest nauigatio. Quis uero ei rei facile fidem haberet, ac nō potius anile nugamentum aut puerilem fabulam esse putaret, si non literarū sacrarum auctori- tas hoc affirmaret, nosq; ad credendum cōpelleret?

Nihil uero aliud hoc factō Deus testatum facere uoluit, quā ut indicaret, quā potēs ipse adeo so- lus, & mortis & omnium rerum esset Dominus, & quā sine negotio nobis opitulari possit eius omnipo- tentia in rebus etiā deploratissimis, id quod nobis cre- ditu est difficillimum. *Nusq̄ enim non præsto est, in*

Deus ubique est.

morte, in inferno, in medio inimicorum nostrorum. Quin etiam cor illorum in manu eius captiuum est, ita ut nihil in nos moliri citra eius uoluntatem queāt.

Ipse enim omnium rerum autor est, & opifex, & om- nia in manu illius sita sunt, quæ suo arbitrio regit, & temperat, ut non aliter atq; ille decreuerit cuncta

*Sap. 11.  
ia in mēsurā,  
numero, & pon-  
ere disposuisti:*

fieri atq; prouenire possint. Cæterum hæc omnia no- stræ fidei confirmandæ gratia scripta sunt, atq; adeo nostri caussa ita mirabilē suæ omnipotentiae testifica- tionem nobis exhibuit, ut in illum cōfidamus creda- musq; siue in morte uersemur, seu in manibus inimi-

corum nostrorum sinus constituti. Quippe sui gratia nihil necesse erat hæc aut scribi, aut agi, sed neq; Ionas opus habebat, ut hæc ad posteritatem editis monumentis transmitterentur. Et quanquam per uniuersum mundum Dei omnipotentia haud dubijs argumentis est cognita, omnibusq; uidetur haud quaquam magni momenti negocium esse hæc audita aut lecta credere, experimento tamen potissimum discimus, quam res non sit uulgaris ista credere constanter & firmiter. Fides res ardua.  
 Quanquam pauci ex animo ac uere ista credant, ut his de omnipotentia uerbis persuasi, uitam & corpus exponant periculis, perq; mortem & peccata, facto periculo, certo perdiscant hæc esse uerissima, quæ prius audita crediderunt. Atq; huius quidem experientia probatio, uiris quoq; magna uitæ sanctimonia probatis, dura atq; acerba portatu est. Res tamen consolationis plena est, taliumq; exemplorum cognitio utilissima, sicut gloriatur Prophetia in Psalterio.

Nunc cum de Ionæ salute actum esse putant homines sibi mundoq; mortui, ut nulla uitæ spes remanserit. Siquidem ij qui in nauis erant, non aliam de eo habebant opinionem, quam quod in fluctibus submersus perierit, dum precantur Deum, ne & ipsos propter Ionæ animam absumat exitio, aut sanguinem in-

C O M M E N T A R I V S

nocentem illis imputet. Quibus equidem uerbis plane non negant, se Ionam nusquam uidere aut nosse quam in morte, dum inuiti quoque diuinæ uoluntati cogebantur obsequi, in hoc, quod è nauis Ionæ suo ipsius iussu deturbauerint. In hac inquã opinione, cū omnes essent, primum fructus & uita mortis Ionæ erumpit. In ipsa enim morte saluus & incolumis potenter seruat, sed & ij, quæ cōmuni cum eo nauigatione asseuerant, è mortis periculo, & ab incredulitate & peccatis liberati ad ueram Dei cognitionem perducunt, iustitiam & uerum Dei cultum amplexi, tanta humilitate & timore, ut ibi quoque peccatum subesse metuerent, ubi præter obsequium, quo Deo obtemperabant, nihil aderat. Quandoquidem Ionam libenter concessa uita seruassent, uehementer formidantes eundem præcipitare in pelagus. Etsi uiderant rem aliter fieri non posse, eamque esse Dei uoluntatem, & decretum. Quam uero piam & christianam habuerint hij homines conscientiam, sedata iam tempestate, qui prius homicidium fortasse duxissent pro ludibrio, aut Deo minus fuissent obsequibiles, nunc uero omnium Deorum obliti, quos prius inuocare solebant, Domino hostias pacificas immolant & uota nunciant. Et harum rerum omnium unius Ionæ mors causa fuit. Tantam in omnibus de se exhibere debet seruans

Dei

I N I O N A M

Dei utilitatem & commodum, ut nihil in eo sit quod non alijs commodum, & utilitatem adferat. Quid sit timere Deum supra dictum est, uidelicet Deum colere. Verus enim & genuinus Dei cultus est, Deū metuere & honorare, ita quoq; hi Deum coluerunt, hoc est serui Dei per timorem facti sunt.

*Timor dom. ce-  
ris dei.*

C A P V T

S E C V N D V M .

Et orauit Ionas ad Dominū Deū suum, de uentre ceti, & dixit.

*Hymnus  
Ionæ.*

Hoc non ita intelligendū est, Ionam ore suo tam ex ordine hæc uerba protulisse, quippe cui longe peius erat in tam crudeli morte detento, quam ut licuisset tam concinnam cantilenā per otium excogitare. Sed ostendit per hoc, quē tunc obtinuerit animum, quasq; in corde suo cogitationes uolutauerit, dum cū morte commissus tale certamē susceperat. Quemadmodum enim à me dictum est prius, Ionæ animus spectandus est, priusquam è tantis difficultatibus eripitur, & adhuc in media morte uersatur, & prorsus pro deplorato cadauere habendus est. Nihil enim quicquam certi de sua redemptione nouerat, nec aliter unquam apud animum suum cogitauit, quam moriendum sibi



COMMENTARIUS

esse, adeo ut mortis etiam aculeum non uulgariter  
 senserit, citraque intermissione subinde moriebatur.  
 Postea uero quam e periculis mortis iam ereptus erat,  
 iterumque in uitam omnipotentia Dei reuocatus, re-  
 trosflexis cogitationibus, hunc hymnum, omnibus suis  
 numeris absolutum ad laudem et gloriam omnipoten-  
 tis Dei, usumque hominum edidit. Huc uero nunc ue-  
 niant quos peruersa tenet curiositas, desideriumque co-  
 gnoscendi, quae nam mortuorum sit conditio. Sunt  
 enim non parum multi, qui libentissime ex Lazaro  
 expiscati fuissent, quid nam fecisset, cogitasset, sen-  
 sisset aut uidisset in terra, dum per quadriduum huma-  
 tus in sepulchro computresceret, Ioh. 11. Ita ex alijs  
 quoque mortuis a Christo, Prophetis, et Apostolis in  
 uitam reuocatis. Certatim uero hic ingerunt se nu-  
 gones quidam leuissimi, quos nihil pudet scribere,  
 quod adeo horrenda aspectu iam mortui uiderint, ut  
 posthac nunquam per omnem uitam riserint, aut ani-  
 mo remissiore paulo hilarius uixerint. Sunt rursus  
 alij qui hoc Sapient. 2. contenti, ab ea curiositate absti-  
 nent, non esse uidelicet agnitum qui reuersus sit ab  
 inferis. Ego uero sic apud me statuo, missum facien-  
 dum esse Lazarum, et alios sanctos posthabendos,  
 acquiescendum uero scripturae affirmanti, uita defun-  
 ctos dormire. Siquidem plane opinor usque adeo omnes  
 hoc

Curiosa in-  
 sitio de mor-  
 tuorum con-  
 ditione.

hoc somno detineri & opprimi, ut nullus illis quicquam aut sentiendi, aut uidendi locus sit relictus, & minus quidem, quam naturali sopore compressi sentimus. Ceterum iam excitatis illud accidere, ut nesciant ubi fuerint. Eos nobis præponamus, qui non ad hunc modum dormiant, & tamen mortui sunt, in quibus morte mortis dolorem, & inferos sentiunt, & quos etiamnum pro uiuis æstimamus. Quod si uero illorum sensum respeximus (qui certe respiciendus est, nec nostræ opinionis ratione iudicandum) planè mortui sunt, nec ulla uita superest. Proinde ij omnem ueritatem nobis enarrabunt, repulsa curiositate, quæ post hanc uitam futura sit mortuorum conditio, præsertim impiorum.

**Clamaui in tribulatione mea ad  
Dominum, & respondit mihi, de  
uentre inferni audistis uocem meam.**

Principio gratiam diuinam copiose, & plenis, quod aiunt, tibijs laudat, & gratias agit, propterea quod è tantis periculis, & angustijs eum sceliciter liberauerit, qua quidem re initio nobis Dei clemenciam ponit ob oculos, deinde sua pericula è quibus ereptum se prædicat. Et primo quidem uersiculo duo magnopere necessaria discimus. Vnū, ut quantocyus omnium

COMMENTARIVS

Deus inuocā- creaturarū auxilio posthabito in rebus asperis & ad-  
 dus in aduer- uersis rectā ad Deum curramus & clamemus, nostrā  
 sis - necessitatē querula uoce illi exponentes. Neq; enim  
 illud potest cōmittere Dei clementia, ut non ilico cla-  
 mantes ad se presenti uiuet auxilio. Maior est sua mi-  
 sericordia, quā ut spe frustratos passosq; repulsam  
 à se immitti repellat animo. Totius rei cardo in hoc  
 uertitur, ut clamemus, ut inuocemus auxiliū eius coe-  
 litus, nec ullo modo reticeamus. Nihil superest, nisi  
 ut caput in sublimē erecto, & manibus in cœlū pro-  
 tensis cōstanti uoce clamemus, subueni Domine, mihi  
 te auxilium de monte sancto tuo &c. Et mox intelli-  
 ges clamorem tuum non frustra fuisse. Bene tecū agi-  
 tur, si tribulatus & afflictus ad Dominum clamare po-  
 teris. Nam neq; in orco perpetui carceris metuenda  
 esset ulla damnatio, si Dei inclamandi aut inuocandi  
 uspiam locus damnatis esset relictus. Parum ex usu  
 tuo facis, si aut multum muliebribus cōplorationibus  
 indulseris, aut cum tribulationibus & angustijs cer-  
 tamen susceperis, aut ad eum, qui tibi subuenturus sit  
 respexeris. Hoc quidem pacto nunquam ē malis emer-  
 ges, uerū subinde profundius immergeris. Audi quid  
 Ionas fecerit, qui & ipse diu multumq; cum angustia  
 luctatus est, priusq; Deum inuocare sit ausus. Id quod  
 ipse post testabitur, alioqui citius liberatū fuisse cer-  
 tati

IN IONAM

enim est. Sed neq; uult aut iubet, ut in hoc eius sequaris uestigia, sed statim initio ponit, quemadmodum ad Dominum clamasset, & liberatus fuisset.

Quam uero graue & arduum sit, ad eum modo = Arduum est  
 dum inclamare auxilium Domini, nemo credit. Ad cum adfugi =  
 eiulandum & lamentandum, trepidandum & dubi = mur Deū in =  
 tandum prompti sumus, & tantum non despōdemus uocare =  
 animum, ceterum ad inuocandum Dominum sumus  
 stupidissimi. Hic enim à mala conscientia & peccatis  
 funditus opprimimur. Quæ quidem mala tametsi sint  
 per se grauissima, tamen hoc etiam grauiora sunt,  
 quod ijs onerati etiam Dei iracūdiam sentiamus, quæ  
 quidem sarcina onerosior est, quàm quæ ab uniuerso  
 mundo gestari possit. In summa, hoc naturæ aut ho =  
 mini impio, impossibile factu est, ut tantis oneribus  
 pressus, surgat aut erigat sese, eumq; Deum inuocet,  
 quem iratum & affluentē sentit, nec ad alium quæ =  
 rendo auxilio declinet. Quemadmodum Esaias sepe =  
 numero scripsit, quod populus se non conuerterit ad  
 Dominum Deum, à quo toties afflictus fuerat. Longe  
 ad hoc natura est propēsior, ut Deum fugiat uitetq;  
 quoties irascitur, aut supplicium sumit de peccatori =  
 bus, tantum absit, ut eum fugiat quærens auxili =  
 um, uerum semper sperat alibi citius se inuenturam  
 auxiliij copiam, Dei pertæsa, & impatiens. Quam =

C O M M E N T A R I V S

obrem perpetuo illum fugitat, tametsi non effugiat, cogiturq; ita in indignatione, peccatis, morte, & inferis manere in æternum damnata. Atq; hic quidem magnam bonamq; infernæ damnationis partem conspicis, quo nam pacto post hanc uitã agatur cum peccatoribus, uidelicet quod Dei quidem iracundiam studiose & sedulo fugiant, nunquam tamen effugiant, sed nec pro impetranda gratia sublata in cœlum uoce ad eum clament. Contra dicit Esaias Cap. 28. eum qui fiderit angulari lapidi, nimirum Christo, non fugiturum, ac si diceret, omnes quidem impij a facie iraq; Dei perpetua fuga fugiunt, nec tamen effugiunt, aut elabütur, à qua calamitosa fuga per Christum fideles liberati sunt.

*Naturæ opinio de Deo.* Non potest aliter natura facere atq; sentit, iam uero quia iracundiam, & pœnam à Deo immisissimam sentit, aliam de Deo opinionem habere nequit, quam de tyranno uiolentissimo atq; immitissimo, & eã quidem diuinæ iracundiæ opinionem ponere nõ potest, ut iterum aliter animata ad Deum supplex curreret. Quamobrem ubi cum Iona eò uentum erat, ut clamaret ad Dominum, salutis portum iam attigerat. Ad hunc modum tu quoq; facito, ne abijcias animũ, aut fugam adornes, sed quietus esto, animumq; tuũ summum in cœlũ tollito, et certo comperies, uerissimũ esse quod

IN IONAM

quod hic canit uersiculus. Clamaui in tribulatiōe mea  
 ad Dominum, & respondit mihi. Ad Dominum, ad  
 Dominū inquam uocem tuam extollito, nec ad alium,  
 atq; ad eum ipsum qui irascitur, qui affligit, qui pu-  
 nit te. Quod uero hic dicit, & respondit mihi, ni-  
 hil aliud significat, quā promptum & properatum  
 auxilium, quo subleuati & adiuti, ilico sentimus me-  
 lius habere nos, iramq; imminutam & pœnam leuio-  
 rem factam esse. Non potest non respondere tibi cla-  
 manti & inuocanti, nec tu præter inuocationem fa-  
 cere potes aliud. Neq; enim ualde tua moratur aut  
 requirit merita, sciens te peccatorem esse miserrimū,  
 qui iram commeruerit, quenq; temere nunq̄ affluxis-  
 set. Atqui nec hoc naturæ est facile omissu, ne sem-  
 per aliquid apportet, quod Deum iratum concie-  
 liet, tanetsi nihil inueniat. Quippe non credit nec  
 nouit, ad placandā Dei iracundiam abunde satis esse  
 inuocationem, sicut nos hic Ionas docet. Ea omnium  
 hominum est natura & ingenū, quandocunq; Deus  
 nec irascitur nec punit, sed affluētē omnium rerum  
 copiam nobis offundit, multisq; benefactis passim  
 quosq; cumulat, tam sumus, petulātes & procaces  
 tam fastuosi, feroces & lasciui, ut nihil supra. Ibi  
 uero frustra sunt omnes minæ, nihil ualent terrores,  
 nec locum apud nos habent tot diuinæ excandescen-  
 tæ.

G

COMMENTARIUS

tie horrèda exempla. Omnia rursus, contemptus & puerorum terculamenta nobis uidentur. Contra, quoties rerum mutatis uicibus, à Deo poena immittitur, tam sumus meticulosi & trepidi, tam abiecti & angusti animi, ut nulla consolatione, nullis bonis, nulla gratia recreati subleuari queamus. Ita quacumque ratione Deus nobiscū egerit, inutiles & nullius momenti sumus. Vide uero quàm nuper ferociebant rursus fieri, & quàm trepidabant, quanq; animum erant consternati, principes. Apud hos nulla ualebat consolatio & consilium, apud illos inutiles erant & inuisa & monita. Iam denuo apud principes cæsis iam rusticis, nullum ferocitatis, fastus & crudelitatis modum uidemus, nec ullis minis aut terroribus mouentur, donec iterum suo maximo malo humilientur. Estq; uerissimum illud Pindari.

ὅτι δὲ μὴ βύφνες, οὐτ' αἰθῶν ἀλώπηξι, οὐτ' εἰς ἔρομοι λέοντες διαλάξαιντο ἦθη.

Art leßt sein art nit.

Naturam expellas furca, tamen usq; recurret.

Qua ratione inuocandus Deus. Alterum est, quod hic nobis discendum Propheeta proposuit, ut ita clamemus, quo in corde quoque sentiamus, eiusmodi nostrum esse clamorem, cui Deus respondeat, utq; una cum Iona uere gloriari possimus, Deum nobis respondere, quoties in tribulatione

IN IONAM

tione eius nomen inuocauerimus. Hæc porro in-  
 clamatio aliter fieri nõ potest, quàm si sincera fide cor-  
 dis ad Dominũ clamauerimus. Neq; enim capitis eri-  
 gendi, aut palmarũ sustollendarum ulla adest copia,  
 nisi cor prius ad Deum fuerit eleuatum atq; erectũ.  
 Quod ita demũ, ut dictũ est, erigitur, si spiritus auxi-  
 lio cõfirmatũ recreatumq; ad iratũ Deũ supplice uo-  
 ce cursitet, atq; inter sæuientẽ iracũdiam gratiã qua-  
 ritet. Permittit liberam puniendi facultatẽ Deo, nihil  
 ominus tamen fretus diuina clementia, audet sperare  
 gratiam. Huc uero adfer aures & animũ, & cogno-  
 sce quã acutas planeq; lynceos oculos cor obtineat,  
 quod undiq; diuini furoris iracundia & supplicio se-  
 prum est, & tamen nullam iracundiam aut pœnã, sed  
 meram gratiam & bonitatẽ uidet & sentit. Hoc est,  
 nõ uult uidere aut sentire, quãuis maxime & uideat  
 & sentiat, gratiã uero & clementiã uidere uult, tam  
 et si profundissime absconditã. Ecce tam grandis & Fidei inuoca-  
 tio.  
 ardua res est ad Deum peruenire, ut per eius iram,  
 pœnam & inclementiã, tanquã per meras spinas &  
 tribulos, imò per meros enses & cuspides ad eũ per-  
 rumpẽdũ sit. Et hæc quidẽ dicitur fidei inuocatio aut  
 inclamatio, quæ cordi sentienda est, ita ut Deus per  
 eam commoueat, quemadmodũ Christus sentiebat  
 uirtutem de se exisse, cũ mulierculã à sanguinis pro-



COMMENTARIUS

fluuiio liberaret. Siquidem spiritus & Verbū & opus ex aequo sentiūtur, fuisse fructuosa & efficacia. Qui uero ita clamant ad Dominum, atq; ij qui Hylam (iuxta prouerbium) in clamabant illorum clamorē uanum, & irritum esse neceſſe est, magisq; pro risu & hypocrisi, quā serio clamore apud Deū reputatur.

Secunda huius uersiculi pars est, id quod iam diximus. Idem enim est clamare ad Dominum in tribulatione & responsum accipere, & clamare ad Dominum de uentre inferni, & exaudiri. Ceterum per anadiplosin illud repetit, quo certior sit, nosq; constantius & firmiter credamus, ita esse apud Deum ut dictum est. Eum quippe usum & consuetudinē habet scriptura, ut crebro idem bis dicat, nequid dubitationis relinqueretur in animis hominum, ita certo se habere. Inde Ioseph Gene. 41. Pharaoni duo illa somnia eadem expositione interpretatur, quo certior esset rex, ita cūcta futura esse, ut prädixerat. Quod uero inquit de uentre inferni, piscis uentrē per hoc significat. Quod autem illum uentrem inferni nominat, non est ita accipiendum, quasi piscis fuisset infernus, sed uenter piscis, Ionæ non aliter atq; infernus uisus est. Et Ionas suos manes suosq; inferos in eo perpeſſus est. Quemadmodum & adhūc modū dicere potuisset, de uentre mortis, non q̄ piscis fuisset mors,

mors, sed quia Ionas suam mortem in eo pertulit. Neque enim hic quid piscis sit loquitur, sed qui nam animatus fuerit in uentre piscis, nimirum quod putarit se ad inferos usq; descendere, ubi deglutitus, in piscis uentrem iruebat. Nec male dicere potuisset de uentre inferni mei exaudisti me.

Ceterum ubi locorum infernus credendus sit, ante diem extremum iudicij, non satis compertum habeo. Nam quod precipuus & singularis locus sit, ubi damnatorum animæ iam puniantur, ueluti pictores & Monachi, animalia uentri seruiētia, affirmare non dubitant, anile deliramentum esse opinor. Non dum enim spiritus malos in inferno uersari, sed uinculis ad æternam damnationem constrictos esse, Petrus testimonio est. Sed & Paulus eosdē mundi principes, atq; in aère sublimē uolantes scribit, cui astipulatur et Christus, uocans Diabolū mundi principem. Quæ quidē testimonia parum fidei essent habitura, si certum esset Diabolos esse apud inferos, cum nec mundum pro sua libidine regere, nec tot tantorumq; flagitiorum autores esse queant. Siquidem cruciatibus compescerentur à talibus nequijs adornandis. Sed & scriptura de plerisq; sanctis loquitur, quod ad inferos descēderint, sicut & hic Ionas & Hiob, tum etiam Patriarcha Iacob Genesis 37. inquit. Descēdam

De inferni lo

co.

n 6.

COMMENTARIUS

ad filium meum lugens in infernum. Quapropter in hunc sensum scriptura multum utitur uocabulo

**H**UNC quo mortis summam & extremam indicet angustiam è uiuis excedentium. Neq; enim aliter loquitur scriptura, quam illi in animo sentiunt, ceterum ita sunt affecti, ac si ad inferos descenderet, hoc est, ac si in Dei iram et furorem immergerentur, quous certum locum ignorent, quo illis migrandum sit. Siquidem unusquisq; infernum secum habet, ubi cuius locorum tandem uersatus fuerit, quandiu extremam mortis necessitatem, Deiq; iracundiam in carne sua sentit. Ad hunc modum Petrus Actu. 2. interpretatur Psalmũ. 15. de Christo. Quoniã non derelinques animam meam in inferno &c. ubi Petrus per infernũ dolores mortis acerbissimos, quos Christus in cruce emittens spiritum, potestatiq; diuinæ semet offerens, persensit, intelligi & significari uoluit. A die uero extremi iudicij haud dubie præcipuus & peculiaris inferno locus designabitur, aut ijs qui in inferno Dei iracundia perpetuo damnati è uita migrarunt. Sed de his satis. Parum referre arbitror, an quis eam de inferno opinionẽ obtineat, quam pictores habere uidentur, cum longe peior est, & futurus erit damnatorum status & conditio, quam pingi, fingi aut dici unquam poterit.

Pro

Proiecisti me in profundum cor-  
dis maris, & flumina circūdederūt  
me. Omnes eleuationes tuæ & flu-  
ctus tui super me transierunt.

Hic nunc enumerat ea, ex quibus coniectura faci-  
le fit, unde scire possumus, quā eius cor fuerit affe-  
ctum, pruisquā ad Dominū clamauerat, quanq; si  
des multis perturbattonibus exposita in eo agone pe-  
ne succubuerit. Cæterū hic hominū prorsus obliuisci-  
tur, à quibus in mare proiectus fuerat, Deū eius pro-  
iectionis autorem fuisse affirmās, cū inquit, Tu pro-  
iecisti me in profundū &c. Ita enim sentit perturba-  
ta conscientia, omne infortuniū & exitiū, quo obrui-  
mur, Dei esse furorē & iracundiā, omnesq; creaturas  
nobis implacabiliter irasci, eiusdemq; inesse quiddam  
diuinitatis nobis aduersantis, etiamsi sti epens aliquot  
sit solum, ut Moses inquit Leuit. 16. Etiā folij strepitu  
conturbabuntur. An nō summe mirum uidetur. Ni-  
hil uilius & abiectius arido & exucco folio, quod hu-  
mi decidit, per quod omnes repunt uermiculi, quod  
ne extremi quidē puluisculi flatum sustinere potest,  
& quo nec ipse Hiob, dum se uilissimæ rei confer-  
re studet, quicq; reperire potuit leuius & contem-  
ptius, arido folio se comparat. Attamē ubi hora tantā

Conscientie  
perturbatæ  
constitutio.

Folij strepi-  
tus.

dem uenerit, fieri potest, ut eiusmodi folij strepitu cōsternantur firmissima panoplia armati equites, purpurati & præpotentes reges, metu exanimentur, animosis principibus subsidant crista, totus exercitus animum & robur amittat, metuq; trepident ferocissimi & fastuosissimi tyranni, quos alioqui nullus inferni timor, non diuini furoris metuendæ minæ, nullius iudicij horrēda sentētia terrere, aut coercere potest, quo minus maiore fastu turgeāt, subinde induratiores facti. Quis uero nō animosos nos putet esse Thrasones? Iracundiam parum formidamus, cōtemnentes etiam, & tamen ad uilissimi folij strepitum consternamur, qui quidem strepitus mox etiam amplissimi mundi magnitudinem, nobis nimis angustam redditurus est, nosterq; Deus iratissimus futurus, qui paulo ante cœlum uertice perrumpere, ipsumq; Deum è regno suo deturbare non uerebamur. Non iniuria igitur nostram uim, robur & potentiam iactabimus. Quod si illud aridi folij strepitus potest aduersus nos, quid non possit uastissimi maris abyssus, qua de re hic Ionas agit? Imò quid in extremo die ualebit ignis tartareus, atq; adeo diuina maiestas cum omnibus sanctis & creaturis?

Deinde nec hoc dicit eleuationes & fluctus maris super me transierunt, sed eleuationes tuæ & fluctus tui,

IN IONAM

tui, & hoc eam ob rem, quod non obscure eius sense  
 rit cōscientia, mare procellis & fluctibus suis Deo et **Conscientiæ**  
 iræ suæ dedisse operam, in puniendis peccatis, dicitq; **angor.**  
 omnes eleuationes & fluctus operuerūt me. Ita enim  
 tunc illi usum est, omnibus procellis & fluctibus se  
 se opprimi, quicumq; essent sub cælo & terra, nec  
 esse quenquam alium, quem diuina iracundia preme-  
 ret, cui Deus & creaturæ omnes essent æque aduer-  
 se. Non secus quoq; complures qui in magno sunt  
 mœrore & animi angustia, dictitant se cœli & terræ  
 onere grauatos esse. Atq; hæc sunt ueræ illæ pœnæ,  
 quæ post hanc uitam miseram & infelicem illam pec-  
 catores consequentur. Et illud quidem diuini furoris  
 & iudicij initium est, quod nullo fine terminabitur.  
 Porrò hic uersiculus affinis est illi, quem Propheta  
 Psal 42. cecinit, omnia excelsa tua & fluctus tui super  
 me transferunt. Et sanè uerisimile est Ionam inde  
 mutuatum esse.

Et ego cogitabā, abiectus sum ex  
 oculis tuis, non adiciam amplius  
 ut uideam templū sanctum tuum.

Hic tandem pœna tangit conscientiam. Volebat  
 enim à facie Domini se proripere, quo minus ad Ni-  
 niuitas iret predicaturus, in quo Deo non obsequens

C O M M E N T A R I V S

Sensus iræ di  
uine.

grauiter peccauerat. Nunc uero primum sentire incipit, quàm uere à facie Dei abiectus sit, supplicioq; destinatus, quod inuito animo perfert, qui prius in conspectu Dei manere recusabat propter peccatū inobedientie suæ. Et hic, nisi mea me fallat opinio, sui ipsius cordis testimonio & accusatione conuictus est, quod his illum haud dubie uerbis tacitæ cogitationis compellauit, Ecce Iona, an non uideris tibi satis procul à Domino te aufugisse, aut seiunctum esse? Hic ex æquo et à peccato non dicendis modis urimur, instanurq; tum etiam à pœna premimur. Duplici uero sensu intelligi potest, quod à facie Domini abiectum se esse conqueritur. Principio externe & corporaliter, ita quod apud animum suū ita statuerat sibi moriendum esse, & quod prorsus desperauerat nunquam fore, ut incolumis in patriam reuerteretur, inq; medio populi sui coràm Domino inambularet in Israël, ex qua, ut supra audiuimus sugerat. Ut fugia à facie Domini, nihil aliud significet, quàm ex Israël fugitiuum Ionam cecisisse, in qua Deus uersabatur, & Dei cultus uigebat. Quemadmodum saepe numero in libris Reg. scriptum est, Deum Israël in conspectu suo dimouisse. Iudæ quoq; minitari breui futurum esse, ut à facie sua proijciatur, hoc est, eà regione se exterminaturum Iudam, ubi Verbum

IN IONAM

Et cultus eius erant. Et hunc quidem sensum sequentia uerba confirmant, uidelicet, non amplius uidebo sanctum templum tuum, nimirum illud quod extructum erat in Hierusalem. Quibus sane uerbis hoc plane testatur, se cum morte uehementer luctatum esse, ac manus quidem uictas morti ultro obtulisse. In quantis uero angustijs et perturbationibus tunc illius fidem stetisse credendum est, quod adeo nulli mirum uideri debeat. Quis enim in tali casu uitam sibi polliceri temere audeat, qui in mari submersus, adhuc à ceto foret absorptus?

SECUNDO spirituali intelligentia, ita ut senserit perpetuo quoque à Deo se esse proiectum. Propterea quod minus Deo fuerit obsequens, sicut damnati. Nec raro Dauid in suo Psalterio ita cecinit, ueluti Psal. 31. Ego autem dixi in excessu mentis meae, proiectus sum à facie oculorum tuorum. Et hunc quidem sensum naturali quadam ratione secum adducit peccatum in conscientia, praecipue uero in mortis necessitate. Quamobrem ita sensisse Ionam dubium non est, atque adeo magno confluisse certamine cum desperatione, de non amplius consequenda Dei misericordia et gratia, certum est, priusquam fidem penè amissam, et extinctam denuo recuperarit, et Dominum inelamauerit. Hic in men-



tem illi uenere omnis generis diuini furoris exempla, quibus peccatores partim grauer punitiuit, partim funditus subuertit, cuiusmodi sunt Adam & Heuæ e paradiso expulsio, Cain fratricidæ damnatio, diluuij inundatio, Sodomæ & Gomorrhæ subuersio. Et hæc profecto una & certa infernalis pœnæ pars est, quæ post hanc uitam multis modis excarnificabit impios. Vides itaq; hic, his duabus rationibus graphicè depictum, quid rerum peccatores post hanc uitam agant aut moliantur, cogitent aut faciât, nempe perpetuis mortis angustijs, perpetuoq; tremore, horrore & desperatione exagitantur. Porro Ionas in eam opinionem & desperationem haud difficulter deuenire potuit, dum in fundû præcipitatus & fluctibus circumdatus, aquarum præterea inundationibus seu eleuationibus coopertus erat, sicut supra dixit & amplius, in commemorando pergit.

Peccatorû cõ  
diti post mor  
tem.

Circumfusa est mihi aqua usq; ad animam, abyssus uallauit me, alga cooperuit caput meum.

Quam uitæ spem aut consolationem concipere potui, cum aquis quaqua uersum in medijs oceani fluctibus circumdabar, alga & carice coopertus? Hæc ad istam rationē dicta sunt, quod ferè uideamus littora seu

I N I O N A M

seu ripas maris & stagnorum iuncis, & alga obdu-  
ctas esse. Iam qui in mari submersus est, sub alga te-  
ctus iacet, hoc est, sub aqua quæ algā produxit. Ita  
ut omnia, quæ sunt in mari et circa marina littora, ei-  
dem subiecto incubant, ipsæ quoq; ripæ, ut sequitur.

**Ad extrema montium descendi,  
terra retinaculis concluderat me in  
æternum.**

Omnia maria & stagna, aut alioqui vasti gurgites  
in uallium concavitatibus, à montibus utrinq; obstan-  
tibus, conclusi sunt, quippe in planitie consistere non  
possunt. Nunc uero montium radices seu extrema  
profundissimas ualles constituunt, quibus montes co-  
eunt. Hæc omnia Ionas loquitur, aut ut is, qui sub-  
mersi casum apud animum suum secum expendit.  
Quando enim sursum cogitat, uidet undarum flucti-  
bus se coopertum, atq; utrinq; ripas, iuncos & ter-  
ram. Inter mergendum uero, uidetur sibi intra mon-  
tes ad fundum usq; descendere. Ibi tum terra firmis-  
simis retinaculis cōclusit, & constrinxit eum, hoc est  
non aliter apud se cogitat, quam quod ibi suffocan-  
dum sit illi, manēdumq; perpetuo, nec ullam rimam  
elabendi esse relictam. Quemadmodum enim in car-  
cerem comectio, in turri manendum est, ianua pessulo

munita; ita submerso quoque in mari manendum est, ubi à fluctibus absorptus interiit. Et tunc quidem à terra conclusus est, hoc est, à montibus quibus mare utrinque septum est, hoc est, undis ita captiuus tenetur, ut nulla sit enatandi aut euadendi uia relicta. Et hoc iterum uides cuiusmodi cogitationes animi Iona tam deuorati, tenuerint. In tali casu facile omnes uoluptates contempsit. Tantummodo letalibus cogitationibus diuexatus est, imò potius in uniuersum omnem spem uitae recuperandae abiecit. Hic nullam adhuc Deum inuocationem adesse uides.

**Sed tu uitam meam a perditione eripuisti Domine Deus meus.**

*Fides post tentationem.*

Hic tandem incipit se ostendere tranquillitas, & meliores cogitationes ascendunt in animo. Hic fides quae perne tantis afflictionibus iactata defecerat, iterum caput erigit ad uictoriae palmam adfectas uiam. Hic finem habet desperationis. Quo tempore inquit etiam longe maximo mortis periculo expositus, nec uita amplius erat speranda, haec impossibile uidebatur me uiuere posse, commo- tua ineffabili potentia aderas, e presenti exitio uitam meam erepturus. Ita, quando funiculus omnium artissime premit, et tenet, plerumque rumpitur. Quomodo Deus relictus me seruator dicitur, & tum demum succurrit, dum res sua deple-

I N I O N A M

deploratissime. Sed quid facit ita auxiliādo, audi.

Cum deficeret a me anima mea,  
Domini recordatus sum, & uenit  
ad te oratio mea ad templum san-  
ctum tuum.

Primū, Deus ad erigendū confirmādumq; animū,  
largitur donū gratiæ & spiritus, ut diuinæ misericor-  
diæ memor sit, utq; illas quas de ira apud se cogitatio-  
nes cōcepit, posthabeat, uertatq; se à Deo iudice, ad  
Deum patrem. Verū hoc humanarū uirū opus non  
est, siquidē Ionas hic testatur animam suam despera-  
tione superatā, apud se defecisse, ex quo palām fit, de-  
fectionem animæ suæ opus fuisse peculiare, & pro-  
prium. Quod uero Domini tam deficiente anima re-  
cordatus sit, & crediderit, hoc proculdubio animæ  
suæ opus haud quaquam fuit. Præter enim spiritus  
adminiculū, Domini memor esse potest nemo. Vbi ue-  
ro Dei recordatio cœlitus demissa in animo exoritur,  
protinus & noua luce illustrantur omnia. Hic iterum  
recuperandæ uitæ spes sese ostentat, & crescit ani-  
mo audacia inuocandi Dominum. Nec fieri potest,  
ut tandem surdis auribus repulsus, & spe frustra-  
tus abeat. Hoc enim est quod Ionas dicit in pri-  
mo uersū, se clamasse in tribulatione sua ad Domi-

COMMENTARIUS

num, & exauditum esse. Et hic consumata tunc erant mors, ira, peccatum, infernus, & quicquid occasionem præstabat parato exitio, deuictis & absumptis omnibus per fidem, quæ bonitate Dei suffulta est.

Porro quod dicit, & uenit ad te oratio mea ad templum sanctum tuum, iterum templum Hierosolymis extructum innuit, ubi Deus istuc ætatis habitabat corporaliter. Siquidem populo Israëlito ita in lege præceptum erat, ne alibi Deum adorarent, quam in loco à se præscripto et destinato, sicut dicit Exodus, ubicunq; nominis mei memoriã cõstituero, eò ueniam te benedicturus. Ad hunc modum cogebantur & ij qui in ea regione uel etiam degebant, adoraturi Dominum suas preces animumq; eò dirigere ad locum uidelicet à Domino præfixum, ubi Deus per uerbi sui præsentiam habitabat corporaliter, atq; eò quidem omnes orationes erant dirigendæ. Sicut nostra iam memoria nouit testamenti omnes christianorum preces ad Christum aduersum solum uertendæ sunt, qui nostrum est propiciatorum, ut alium Deum nec noscimus nec adoremus, præter hunc, qui in homine Iesu Christo corporaliter habitabat. Atqui nec alius, hoc excepto inueniri potest.

Cæterum qui custodiunt uana & mendacia, reliquerunt misericordiam.

Heb

IN IONAM.

Hebraica ueritas hic habet. **משמרים**  
**הכלי שוא חסדם יעונו**. Qui custodiūt  
 uana, misericordiam suā reliquerunt. Quia uero illud  
 uernacula lingua ita expressum perinde sonat, ac si  
 de hominum misericordia loqueretur, quæ ab illis in  
 alios exhibenda est, ommissa uocula (suam) quo foret  
 sensus significantior, malui simpliciter uertere reli-  
 querunt misericordiam. Ionas enim de misericordia  
 & bonitate Dei loquitur, quæ nostra est, hoc est no-  
 bis exposita, annunciata & promissa. Non secus  
 quàm si de Christo ad hunc modum loquerer. Cum  
 reuera nihil horum nostrum sit, sed Dei solius, qui  
 gratuito cuicumq; uoluerit largitur. Et tamen nostra  
 quoq; recte dicuntur, cum nobis proposita & annun-  
 ciata sunt, ut auferemus & nobis ut propria uēdice  
 ciata sunt, ut auferemus & nobis ut propria uēdice **Hypocritarū**  
 mus. Siquidem Ionas hoc uersiculo pharisæos peruer-  
 se sanctos & hypocritas taxat, qui non sola Dei gra-  
 tia freti, in Deum foelicitatis suæ summā ponunt, ue-  
 rum in suis operibus quoq; multū spei & fiduciae quæ-  
 runt, & falso collocant. Et illi quidem cum ignorant  
 quid fides sit, aut eius potentia, neq; ullis tribulatio-  
 nibus iactati, aut angustia pressi sunt unquam, quibus  
 planè perdiscere potuissent, quid præstaret incrude-  
 scentibus procellis fides, & quàm inutilis & irrita  
 esset omnium operū, hypocritico animo concepta si-  
 H

## C O M M E N T A R I V S

*du* *ti* *a* *e* *s* *e* *,* *h* *o* *c* *e* *s* *t* *i* *r* *r* *i* *t* *a* *&* *n* *u* *l* *l* *i* *u* *s* *m* *o* *m* *e* *n* *t* *i* *c* *o* *r* *a* *m* *D* *e* *o* *,*  
*ap* *u* *d* *q* *u* *e* *m* *n* *i* *h* *i* *l* *q* *u* *i* *c* *q* *u* *a* *m* *u* *l* *l* *i* *u* *s* *a* *e* *s* *t* *i* *m* *a* *t* *u* *r* *p* *o* *d* *e* *r* *i* *s* *,*  
*n* *i* *s* *i* *f* *u* *a* *b* *o* *n* *i* *t* *a* *s* *&* *m* *i* *s* *e* *r* *i* *c* *o* *r* *d* *i* *a* *,* *u* *e* *r* *a* *f* *i* *d* *e* *c* *o* *m* *p* *l* *e* *x* *a*  
*&* *c* *o* *g* *n* *i* *t* *a* *,* *c* *i* *t* *r* *a* *o* *m* *n* *e* *m* *o* *p* *e* *r* *u* *m* *&* *m* *e* *r* *i* *t* *o* *r* *u* *m* *n* *o* *n* *a*

*Operum fidu*  
*cia.*

*strorum respectum, nobis donata. Iam quicunq;* *u* *n* *i* *s* *&* *i* *m* *p* *u* *r* *i* *s* *n* *i* *t* *u* *n* *t* *u* *r* *o* *p* *e* *r* *i* *b* *u* *s* *,* *s* *u* *a* *s* *p* *e* *f* *r* *u* *s* *t* *r* *a* *t* *u* *r* *,*  
*Ionæ testimonio, hoc est, uanam & irritā spem,*  
*ceulupus hians, animo concipiunt. Neq;* *e* *n* *i* *m* *q* *u* *i* *q* *u* *a* *m* *i* *u* *u* *a* *n* *t* *u* *r* *i* *n* *h* *o* *c* *,* *q* *u* *o* *d* *t* *a* *m* *n* *o* *n* *u* *a* *l* *e* *a* *t* *i* *l* *l* *o* *r* *u* *m*  
*fiducia, quàm nihili sunt illorum opera, & uanitas*  
*cui innitebantur. Præcipue uero populum Israël*  
*cum hic notat Propheta, qui lege Mosaica & ope*  
*ribus proprijs fretus, nedum Euangelium & gratiam*  
*tro oblatam cōtemptim habebat, sed etiā ferociter*  
*sectabatur, cū tamen illorū peculiare erat Euangelium,*  
*quibus in Prophetis ante, multifariā erat promissum*

### Ego autem cum uoce laudis &c.

*Hic iterum oblique perstringit iudæos, corru*  
*demq; sacrificia & opera, ac si iuxta Psalmum . 49*  
*loqueretur. Oues & hircos tibi imolant, quasi Deus*  
*boulle carnis amore tangeretur, aut hircini sanguine*

IN IONAM

nis haustu delectaretur. Bene tamen actum esse pu- Sacrificiū lau-  
 tant, si ea Domino crebro immolauerint. Ego sic dis quid-  
 apud animum meum statuo, sacrificium laudis, uerum  
 esse sacrificium, quo Deus cum primis capitur, ut  
 eius gratiam & bonitatē nobis indignis exhibitā prae-  
 dicemus, et laude uehamus, sicut hic Ionas facit, quod  
 auxilio nobis succursum sit. Ceterū hypocrite bo-  
 ues & oues immolantes, ipsi magis à Deo predicari  
 et laudari cōtendūt, ut qui suis operibus Deū magnis,  
 & meritis, & officijs cumulauerint, sibiq; multis no-  
 minibus, ob maētatas hostias obnoxiiū reddiderint.

Eam diuinae bonitatis, & gratiae cognitionē tam-  
 etsi Ionas prius quoq; habuerit, tamen adeo plene,  
 & copiose non habuit, quā in his turbis & peri-  
 culis primum planē perdidicerit. Quippe prorsus  
 hic liquido intelligit, quā Deus minime moueatur  
 ulla persona aut meritis, qui tam indignis peccatori-  
 bus subuenire non dubitat. Ante profundo animo  
 suo, haec erat infixā opinio, Deum personarum, &  
 operum quoque respectu tangi, praecipue uero popu-  
 li Israelitici, quanquam ne nunc quidem in uniuersum  
 eam opinionem exuerit.

Quod autem dicit, uota mea redāam Domi-  
 no, non ita accipiendum est, quasi Ionas adhuc in  
 pisce Domino uota nuncupauerit. Neque enim

H ij



COMMENTARIUS

Votū quid in  
Scrip. quicquam de his legitur, sed nec ipse inter alias cogi-  
tationes, quas in pisce habuit, hoc uspiam indicat,  
sed solam preceationem suam, per uota uult intelli-  
gi. *Quamobrem scriptura assuescendum est, ut, ubi in*  
genere sancti de uotis nuncupandis & reddēdis men-  
tionem fecerint, nec quicquam nominatim expresse-  
rint, intelligatur commune illud populi Dei uotum.  
Ibi uero cōceptis quodammodo uerbis, uouemus nos  
non habituros esse alium Deum præter ipsum solum.  
Inde eiusmodi uotum reddere, nihil aliud uult aut indi-  
cat, quàm confiteri, laudare & prædicare nomē Dei  
uiui, atq; ita Deum ex puro corde & fide sincera co-  
lere. *Quemadmodum canit Psalmus. 49. Imola Deo*  
sacrificia laudis, & redde altissimo uota tua. Et item  
alibi, *Vota mea reddā Domino, coram omni populo*  
suo. Ad hunc modum & Ionas prædicat se Deo red-  
diturū uota sua, hoc est Dominū laudaturū, ut Deū  
suū unice, propterea quod illi benigne succurrerit.

Et Dominus dixit pisci, & expuit  
Ionam in aridam.

Hæc ad ueram scripturæ rationem dicta sunt, quæ  
Deus per Verbum suum omnia agere & facere dicitur,  
ut Ioh. 1. Omnia per Verbum facta sunt, & sine  
ipso factum est nihil. Et Psal. 35. Ipse dixit & facta  
sunt,

IN IONAM

sunt, ipse mandavit & creata sunt. Ita natura piscis Ionam hic non potuit nec debuit cōcoquere, sed à naturali digestionē illi conquescenti fuit, & cibus reddendus erat & illæsus in aridā expuendus. Ita ut per omnia prorsus inusitata Dei prodigia & mirabilia in Iona seruato sint edita. Et hic omnia inuersa uideamus, nam quæ prius præsentem mortē intentabant, ea omnia certatim nunc uitæ seruiunt. Hic piscis qui prius mortis erat instrumentum, nunc uitæ organum esse iubetur. Et Ionas per hunc ipsum ad uitam incolumis reducitur, per quem paulo ante captus & absorptus ad mortem rapiebatur. Ipsum mare quoque locum euadendi præstare cogitur, & hospiti liberam & innoxiam abeundi facultatē concedere. Hic montium extrema ruptis retinaculis, non amplius captiuum retinent, sed nec alga submersum ultra contemnit &c. Hæc inquam omnia, tantum in hoc scripta sunt, ut consolationem inde caperemus, utque disceremus Deo ex animo fidere, apud quem paruo in discrimine mors & uita ponitur, & utrunque adeo illi promptum est largiri aut adimere, ac si in rebus humanis luderet, quoties alterum dat, alterum uero adimit, aut alterna uicissitudine nunc hoc, nunc illud præstat. Nobis uero hæc magna sunt, & auditu mirabilia, quibus potentiam & uirtutem suam no-

Fidei exēplū.

bis certo testatam exhibet, uelut Psal. 104. ipse de se prædicat.

CAPVT III

Et factus est sermo Domini ad Ionam secūdo dicens, Surge & uade in Niniuē ciuitatem magnam.

*n.* Hæc propterea scripta, ut intelligamus, quàm sine iussu diuino, nihil statuendum aut inchoandum sit. **Contra humana placita.** Primum quippe mandatum per Ionæ inobedientiam irritum factum erat. Quare nisi denuo profectio in Niniuē Deus Ionæ demandasset, dubius animi fuisset, quid faciendum fuerat. Imò potius ita illi successisset ultro suscepta prædicandi prouincia, quemadmodum ludæis, qui cum Numeri. 14. ductu & auspicio Dei, iussi in pugnam prodire recusarent, tandem ultro instructa acie, et laceffitibus hostibus, in apertum campum ad pugnandum progressi, insigni strage affecti sunt. Usque adeo uanum est & irritum, quicquid humana mens Liberi Arbitrij ductu, non consulto aut accepto Dei mandato, decernit aut statuit. Præterea huic mandato, & hoc adijcitur, ne quid aliud præ-

prædicet, nisi quod illi à Deo in mandatis fuerit cõ-  
 missum, ita ut prædicandi officium, & Verbum eius  
 certo mandato complexum sit. Ea demum prædica- **Vocatio.**  
 tio, quæ ex præcepto Dei suscipitur, frugifera esse  
 potest. Alioqui quoties præter mandati diuini auto-  
 ritatem currunt, aut non missi prædicant, aliud quàm  
 Verbum Dei, semper damno sunt auditoribus. Sicut  
 Hieremias hoc ipsum, haud obscure docet, ubi inquit.  
 Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non lo-  
 quebar ad eos, & ipsi prophetabant. Hæc duo haud  
 dubie tibi dicta esse putes, qui Verbi diuini præconem  
 agere uolueris, eaq; inis sensibus tibi reponenda exi-  
 stumes, neq; enim parua res est aut ludicra, nimirum  
 ex qua, & tua & populi salus pendeat. Huic sub-  
 scribens Petrus, hæc duo, uno quasi fasce complexus,  
 Siquis, inquit, loquitur, loquatur ut eloquia Dei, si  
 quis ministrat, ministret tanq̃ ex uirtute, quam suppe-  
 ditat Deus. Ut certus sit utrunq; iuxta diuinum, &  
 à Deo demandatū esse. Stat enim iam sententia, ipse  
 dixit & facta sunt. Per Verbum eius omnia peragē-  
 da sunt, loh. primo. Omnis plantatio quam non  
 plantauit pater meus eradicatur. Nam quanquam  
 plantentur aliqua humano conatu, & excrescant, fru-  
 ctum tamē nō producūt. Ita humanarū quidem uirtū  
 conatus, aggreditur quidē aliquid, sed præter dānum

et malū dat nihil. Neq; enim finem pertingere potest eius rei quam instituerat, sed unā cum studio et conatu suo tādem euanescent homines, ubi satis damnorum et malorum dederint.

Et Niniue erat ciuitas magna triduum itineris:

Niniue ciuitas Dei.

Quamobrē uero Niniuē ciuitatem Dei uocat, cum ibidē neq; cultus Dei, neq; templū, sed nec Prophetæ erant? Quantū ego coniectura possum assequi, in dicta dictam puto, quod Deo curæ fuerint, nec eos ex improviso, exito absumere uoluit, sed misso Prophetā resipiscētib; cōdonare ueniā. Proinde ualde credibile est, eius urbis incolas in Deum uerū cœli et terræ conditorē credidisse. Atqui et illud pro certo atteste habebat cognitū, eos Prophetam à se missum audituros esse, eiusq; Verbo cupide audito atq; suscepto, actutum poenitentiam acturos. Quæadmodū scriptura de Naēmā Syro loquitur, Deum uidelicet illius gratia multa bona contulisse Syriæ. Sed et regem Babiloniae Nebucadnezar seruum suū nominat. Quibus locis illud planum facere uoluit, se quoq; Deum esse gentium, et non tantum Iudæorum, esseq; inter gentes quoq; qui sui sint.

Quod autem scribit urbem tridui itineris habuisse amplius

amplitudinem, illud complures ita intelligendum esse  
 contendunt, quod per gyrum eam magnitudinē mu- Magnitudo  
 ro cinxerit, quæ per tres dies circumiri potuisset, à urbis Nini =  
 quibus ego multum dissentio. Ea enim, nisi me fallat uæ.  
 animus, inusitata inauditæq; magnitudinis fuisse ciui-  
 tas, quæ duodecim aut quindecim miliaria Germani-  
 ca, muro cingeret. Talis nãq; quinque aut sex miliari-  
 bus in longitudinē & latitudinē fuisse protensa. Ego  
 ita rectius intelligi opinor. Niniue ea fuisse magnitu-  
 dine, cuius tridui spatio, quispiã per ocium ambulãdo,  
 omne plateas perreptare aut peruagari facile potuis-  
 set. Mox enim in sequentibus subiicit, Ionam unius diei  
 itinere ingressum esse & prædicasse, quod ego existi-  
 mo unam urbis fuisse partē, quæ intra diem deambulã-  
 do, peragrari potuit. Hunc uero sensum ualde iuuare  
 uidetur hebraica uocula לך transitus, quem-  
 a. imodum in urbibus sursum ac deorsum obambulare  
 solent homines ocio dediti. Sicut Moses inquit. Exo-  
 di. 14. Dominum hac nocte transisse per Aegyptum,  
 & percussisse omnia primogenita, quem quidē tran-  
 situm, pro certo constat non fuisse, rectum, sed obli-  
 quum, hinc inde per Aegyptum. Cui hæc displicue-  
 rint, suo fruatur iudicio & ingenio.

Et prædicauit Ionas & dixit, ad

huc quadraginta dies, & Niniue  
subuertetur &c.

Vnus diei itinere Ionas in ciuitatem Niniuen ingressus est & predicauit. Quot autem dies insumpserit, ei urbis parti predicatio, in obscuro relictum est. Ipsa quoque predicatio summa, paucis uerbis perstricta est, uidelicet Niniuen post exactos quadraginta dies, subuertendam esse. Verisimile tamen est, eundem nedum hæc dixisse uerba, sed copiosius subuersionis futuræ rationem reddidisse, quam ob rem illis ira Dei sit expectanda, & metienda, & quanta sit in urbe malitia, qua aduersus illos Deus irritatus sit. Item qui iusti fierent, & quid ad iustitiam consequendam spectaret. Sicuti nunc quoque moris est, cum summatim, & uno quasi fasce, amplissimum alicuius sermonis argumentum cõplectimur dicentes. De peccatis sermonem habuit. Aut de missa concionatus est.

Et crediderunt Niniuitæ Deo,  
& predicauerunt ieiunium, & uer-  
stiti sunt sacco a magno eorum us-  
que ad paruum eorum.

Omnes homines quotquot in ea ciuitate fuerunt  
mere sanctos fuisse suspicor, ut non iniuria Ionas  
eam

## I N I O N A M

eam ciuitatem Dei nominauerit. Namq; si potes, per uniuersum mundum mihi monstra alteram, quæ huic Niniuitarum conferenda sit, etsi sanctam ciuitatē Hierosolymā pro fides. duxeris. Intuere uero hanc rectis oculis, Ionas tantummodo unius diei itinere ingressus, prædicauit in ea, nec dum ad omnes suæ prædicationis fama dimanauerat, & mox omnes ad unum, à uia mala flagitiose uitæ respiscunt. Hierosolymitarū urbem, nec Christus nec Apostoli, sed nec tot Prophetæ suo uerbo in numerisq; miraculis, signis, & prodigijs eò qui uerunt perducere, tamen si multo tempore quaqua uersum, & penè uicatim per urbem prædicassent; ut Deus etiam hic non inconmode dicere possit, uelut Matth. s. Christus de Centurione testatus est, se tantam fidem non inuenisse in Israël. Imò tempore Ione iam tum Israël, & Hierosolymitarum urbs extremis scatebant flagitijs, quando Niniue ante actæ uitæ poenitentiam agebat. Quamuis non ita nimium fuisset mirabile, etiamsi Hierosolymite idem fecissent, tempore Dauid regis, Solomonis, Ezechia, Iosia, quandoquidem legē Dei habebant, & tot Prophetas, tot pios, & deuotos reges & principes. Tot præterea sacerdotes aliosq; innumeros spectata uitæ sanctimonia uiros insignes, quorū opera indies, & sedulo, tradita lege, populi malitia cohercebat. Porro



C O M M E N T A R I V S

tempore Ionæ Niniue urbium fuit optima & amplissima super terram, cui parem non inueniffes facile.

Hunc Ionæ propheta locū Sophistæ & Monachū  
Contra opē = utriq; iuxta perdita & impia pecora, ad opera  
rū merita. lienda detorquent, dicētes. Hic uero uides Deū op  
rum habere respectum, & Niniuitas per hæc imp  
traffe gratiam, tametsi fuerint gentiles & infidelit  
Liberū Arbitriū admodū se potest præparare ad gra  
tiam &c. Respōdeo, huiusmodi nugamenta & imp  
sturas sophisticas Ionam anteuertisse, in hoc quod  
niuitarum fidei, ante memorata pœnitentiæ op  
manifestis uerbis laudet, cum inquit Niniuitas cre  
disse in Deum. Quæ quidem uerba studiosè & d  
mulanter Sophistæ subterfilunt, & nobis opera  
improbe & maliciose cōmonstrant. Item Ionas Nin  
uen ciuitatem Dei uocat. iam ciuitatem Dei esse, m  
Deum credere reuera non concedit, ut liberum ar  
triū hæc fecerit opera, sed diuina gratia & fides hæ  
operata sunt. Ob eamq; fidem & gratiā Deo quæ  
hæc grata fuisse opera certū est. Siquidē hic exten  
quoq; suam in animo fidem, & gratiam testati sum  
quem fructū audita Ionæ prædicatio, inter ipsos cer  
produxit. Quid uero diuinæ bonitati non gratū, m  
acceptum esset, aut etiam summe placeret, ubi pro  
sua gratia & fides mentem hominis illustrauerunt.

cun  
ant  
Deo  
men  
facc  
quar  
stina  
cont  
post  
te m  
ro c  
cute  
chi  
allor  
ta cu  
sus s  
suis r  
qui s  
liaue  
ge &  
tanq  
iuna  
Deu  
corib  
e

IN IONAM

cum neq; peccata quæ manserūt reliqua, obesse que-  
ant credentibus.

Cæterum hic aduerte quod multa faciunt, quæ à  
Deo illis facienda non sunt iniuncta, nihilo secus ta-  
men Ionas eadem percenset, ueluti quod ieiuent, &  
saccos induant. Quantopere uero putas Deum re-  
quirere ieiunium aut saccos? qui totius cordis & pri-  
stinae uitæ innovationem atq; resipiscentiam habere  
contendit. Sed nec per Ionam ab illis hæc exegit aut  
postulauit, uerum tantummodo, ut relicta prioris ui-  
tæ malitia, ad meliorem frugem se reciperent. Nunc ue-  
ro etiam qui sacco amictus est & ieiunat, intus & in-  
cute perditus latro esse potest, quales ferè sunt Mona-  
chi in suis cucullis. Iccirco in sequentibus haud quaquam  
illorum ieiunium & saccos commēdat, sed quod agni-  
ta culpa resipuerint, & quisq; à uia sua mala reuer-  
sus sit. Illud autem ex recepta consuetudine, quam à  
suis maioribus, quasi per manus traditam acceperāt,  
qui saccis & ieiunio coram Deo sepe numero se humili-  
auerunt. Hoc idem sentiendum & dicendū est de re-  
ge & principibus eius aulicis, in cinere sedente, &  
tanquam absurda præcipiente, ut pecoribus etiam iei-  
unandum, saccosq; induendos esse putarit, atq; ad  
Deum clamandum. Quis uero unquam fando audiuit, pe-  
coribus quoq; sacco amictis & ieiunis ad Deum cla-

ma

COMMENTARIUS

mandum esse? Num Deo quoque cura esse existimatur  
ut haec opera fiant ab animantibus.

Externa opera  
cur fiant.

Eiusdem momenti & ponderis sunt apud Deum  
ieiunium, & sacci animantium & hominum, & co-  
tra non magis ualet hominum apud Deum ieiunium  
quàm pecorum. Ceterum animus metu cōsternatus  
neque non consciētia cōtrita & humiliata, his etiā  
surdiora facit, ut testetur serio se ducti ante astra  
pœnitētia. Atque adeo si fieri ullo modo possit, etiā  
gna, saxa, & silices, omnes præterea creaturas  
unā lugendum & lamētandum induceret, & tamē  
ne sic, quidem minimam partem ueræ pœnitentiæ  
assequi posse putaret. Neque enim ulla oratione  
explicari potest, estque res prorsus incomprehensibilis  
quanta sit cordis, peccata ex animo detestantis, pœ-  
nitudo, putantis neminem non ita debere esse affectū  
ut ipsum est. Ut nō male Paulus Romanis. s. scripsit  
uideatur, spiritus gemitus esse inenarrabiles. Huc pœ-  
nitet quoque quod Dauid in Psalterio scribit se leonem  
in morē rugiisse præ cordis sui gemitibus. Hoc est  
tam in corde suo fuisse pœnitentiā, & gemitū  
rationem, quam erūpentibus lachrymis & eiulatio-  
adeo immane declarauerit, ac si quis frendentis leonem  
rugitum audiuiisset. Iam ubi Deus tantam tamque  
cordis pœnitentiā conspexerit, contentus est, adeo  
etiam

IN IONAM

etiam ea quæ absurde fiunt illi placeant, quæ alioquin  
ne aspiceret quidem, nisi tam certa usq; adeo humilia  
ti cordis significatione fieret. Quamobrē Ionas Nini  
uitarum pœnitentiã ualde significanter, & graphice  
depinxit, ut eam quæ fuerit grauis, seria & efficax.

Quod si nunc Sophistis in animo est operũ iactan  
tia, ut ea quæ Deus nõ fastidiat aut respuat, haud ma  
gnopere illorũ instituto reluctabimur. Tantũ hoc mo  
neo, ne, quæ illorum est oscitantia, & perfida negli  
gentia, altero iactato, alterũ dissimulent. Hoc est dum  
opera iactant, addant etiã confracti contritiq; cordis  
ex animo factã pœnitentiã, ex qua ista opera mana  
re solēt. Nam dum sola opera, animi cogitationibus  
inspecta arripiunt, citra tam grauis adeoq; serie pœ  
nitentiæ accessionem, ueluti usu receptam in mona  
sterijs, & ecclesijs consuetudinem, qua per tempus  
quadragesimale, præcipue illos occupatos, & distri  
ctos uidemus, reuera nihil sunt aliud, quàm absurdissi  
ma stultorum hominũ opera, non secus quàm si pecco  
ribus interdicta fuerint ieiunia, præscriptaq; pœnitē  
tiæ ratio, & formula, posthabita hominũ pœnitētia.  
Quibus omnibus nihil prorsus ageretur, quàm quod  
Dei omnipotētiam naso, quod aiunt, suspenderemus,  
maiorisq; furoris iracundiã in nos cõcitaremus. Quã  
propter suadeo in totum talia missa facienda esse, aut

C O M M E N T A R I V S

Lib. arb. magno serio arripienda, ἢ δὲ χελώνος κερὰ  
 φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν. Non sunt hæc facienda  
 ignaüter & frigide, sed acriter & serio, ut pote qui  
 mediocritatem non recipiunt, aut stertentem, & so-  
 phisticum animum. Eam uero animi serio peccata  
 testantis certam pœnitudinē non præstat, Liberi Au-  
 bitrij nequicquam asserta potentia, aut altoqui hu-  
 narum uirium imbecillitas, sed fides eandem, spiritus  
 sancti uirtute in nobis operatur. Quippe ipsos quos  
 Niniuitas, haud quaq̃ absurdis hisce operibus con-  
 tos esse uidemus, sed præter pecorum ieiuniū & in-  
 uocationem, uera pœnitentiæ caput ipsissimum ad-  
 gunt, præcipientes, ut unusquisq; à uia sua mala  
 uersus discedat, relictis manuum suarum iniquita-  
 bus. Immodica iam passim est operum factendorum  
 iactantia, omisso semper illo quod operibus adiectum  
 est, nimirum ut animi malitia deposita, iusti fieremus  
 ne tantum manes culmos pro tritico, citraq; nucleos  
 putamina Deo sacrificaremus, & per hoc illum pro  
 ridiculo ac delectamento haberemus. Dic uero illi  
 ut prius iusti facti, opera tantopere iactata faciāt,  
 spes est, ut sine negotio, lis pro asserēdis operibus  
 ponatur. Atqui nunc immodici operū iactatores  
 re nihil præstāt aliud, quàm quod gladiatorio animo  
 pro-defensione operum cum alijs indecore & rabie

IN IONAM

se litigent, quorum nullum nec uita nec factio exprime student aut cogitant, immò ne possunt quidem, de quibus impendio loquaces, & præfracti nunquam non garrunt.

Saccis amicri ad rationem Hebraici sermonis per Saccis amia inde ualet, ac pannis & non sumptuosis uestimentis circi conuestiri, nullo adhibito mundo & ornatu. Quem admodum serè procedunt in publicum lugètes, tenuiter uestiti, ueste lugubri, nec opus est, ut per omnia sint sacci, aut eius generis pannus, ex quo sacci conficiuntur. Sicut Hieremias inquit. Coelum sacco induam, hoc est, nubium densitatibus illum obscurabo, & contegam. Accedit his, quod Iohannes Apoca. 6. scribit, solem factum esse nigrum, tanquam saccum cilicium. Ita hic quoque saccis amiciuntur animantia, hoc est unà lugendum est illis, & uultus tristis sumendus. Sicut Hebraica ratione panis & aqua manducandi & bibendi significationem obtinent. Et in cinere sedere, est se humiliare, non fastu turgidum esse sublatoq; animo incedere. Non quod tantum panis esu & simplicis undæ potu uictitarint, aut in cinere ante focum humi sederint, sed quum non sit frugalior aut tēperatior cibus & potus, quàm panis, & aqua, nec tenuior (ut ita dicam) pannus atq; sacco-rum est, nec locus humilior ac foci, aut cineris, fit,

COMMENTARIUS

ut per hæc omnes uiles cibi, uestes, loci significetur, uelut Esaias de Babylone loquitur Humiliare Babylon humiliare, sede in cinere &c.

Quis scit si poenitentiam agere  
Deus, & reuertetur ab ira furoris  
sui & non pereamus?

Hic perinde rex loquitur, ac si incertus sit an-  
num Deus ei uelit esse clemens, & propitius, cui  
men fides requirat certitudinem, ita ut nihil de gra-  
tia hæsitantes certo persuasum habeamus nos De-  
curæ esse, aut fides dici non meretur. Verum enim  
uero nihil dubitat, alioqui hæc non fecisset, quæ  
illo facta esse Ionas memorat. Nam hominis animus  
qui in dubio est, Dei misericordiam & clementiam  
non implorat, sed neq; eiusmodi poenitentia fructus  
facit. Caterum res ita se habet, cor quod neutiq;  
mulata ducitur poenitentia, tanta trepidatione ad-  
sus dubitationem conflictatur, nec dum uictoria  
nuit. Quare ad hunc modum loquitur, ac si incertus  
sit. Sed reuera nihil aliud sibi uolunt aut quæ-  
runt hæc uerba, quàm quod testentur animi trepidi-  
tis certamen aduersus dubitationem susceptam  
dum debellatum esse, sed uersari etiamdum in labi-  
& necessitate. Iam si fides abesset omnino, tanta  
dubitatione

Poenitentia  
uera •

IN IONAM

dulitate, pugnandi laborem non sustineret. Iccirco  
 hæc uerba magis signa sunt præsentis fidei quàm du-  
 bitationis, eiusmodi tamen fidei, quæ in metu est, &  
 pugnat, quæq; gratiam Dei ante oculos habeat præ-  
 fixam, ueluti dicit. Quis scit? si pœnitentiam agat  
 Deus &c. Hoc est uideo adhuc superesse locum cle-  
 mentie, nec tantum furoris iracundia sæuit.

SVPERVACANEVM, esse opinor, curio-  
 sam illam & nimis argutam quæstionē hic discutere,  
 quomodo Deus animi sui decretum mutet, aut duca-  
 tur pœnitentia, quum sit immutabilis, qua explican-  
 da multi nimium anxie se torserunt, inutili labore se-  
 metipsos cōstitentes. Huc potius dirigendi sunt oculi,  
 ut animaduertamus quàm incredibili fide præditi fue-  
 rint Niniitæ, nedum credentes quod Ionas de sub-  
 uertenda urbe futurum prædixerat, uerum etiam diui-  
 nam gratiam sibi polliceri audētes, tametsi nullā eius  
 obtinendæ promissionē ex Iona audiuerāt, sed mina-  
 cissimas tantum minas, auribus hauserāt. Magna res  
 est, nec indigna multorū admiratione, adeo splendidā  
 urbē, adeo potētē regē tā subito metu cōsternari atq;  
 terri ad unius uiri prædicationē, ut ilico omni fastu  
 deposito, Deū metuētes in tantū se deiiciāt atq; humi-  
 liēt, nec ante secū expēdāt, cur ipsi præ omnibus alijs  
 per orbē urbibus peccatores danētur. Quā uero per-

An Deus du-  
 catur pœnuē-  
 tia.



COMMENTARIUS

timaciter Sodoma, & Gomorrha prædicationi Loti, reluctabantur? Quanto nisu repugnabat Mosi, & Aaroni Pharaonis pertinax induratio? Quanta animi duritia & cecitate aduersus Christum, & Apostolos debacchata est semper Hierusalē? Quo furore Roma in omnes Christianos sæuebat? Præterea quam ferociunt, quàm furiunt etiamnum principes, & Episcopi aduersus Euangelium. Est profecto uniuersus mundus, si cum Ninuitis collatus fuerit, plenus peccatis, sicut nebulonibus & Diabolis.

Alterum adhuc maius, & admiratione longe dignius, quod in tanta trepidatione, & animi angustia non desperarint, cum nullam habuerint promissionem. Age quæso cui innituntur, quo minus omnem spem & animū abijciant? Nobis cum sint tot Prophetæ & Apostoli, tanta scripturarum copia, tantus probatissimorum librorum cumulus, tot concinnatores, & uerba plena bonæ spei & consolationis, tamen ne hic quidem Deo admodum fidimus, aut credimus. Vt non incommode nostræ Verbi diuinitatis, dici posset oceanus, quantum ad guttulam collectus, quam illi obtinuerant. Neq; uero plus habere potuerunt, præter unicum illud Verbum, Deum uidentem cet coeli & terræ conditorem fuisse, illumq; adeo uerum esse Deum, qui clemens sit & propitiuus. Atque

IN IONAM

eam diuini Verbi portiunculam, usq; adeo utilem & frugiferam sibi metipsis reddiderunt ad salutem, in decus, & ignominiam Iudæorum iuxta ac Christianorum, qui tanta uerbi affluentia, non nisi in nostram perniciem impijssime abutimur. Quapropter Christus Matth. 12. Niniuitas Iudæis, atq; adeo nobis omni- *Incredulitas*  
 bus, præponere non dubitat, affirmans eos surrecturos in iudicio, atq; hanc generationem condemnaturos, qui ad Ionæ prædicationem, nihil cunctantes respuerint, & ecce plusquàm Ionas est hic. Et hoc quidem non iniuria, cum ne dimidiam quidem partem uere poenitentia, qua ducebantur Niniuitæ, impendamus, tot minis & promissis à Deo lactati, & præmoniti, cum Niniuitæ unicis minis perterriti, curaq; nullam promissionem recreati, sic copiosam, sic efficacem fidem præstiterunt. Verum enim uero ita semper agitur, ut ubi minime effusa est Verbi diuini copia, *J*  
 ibi sitiatur & desyderetur maxime, ubi eiusdē est affluentia, ibi ferè fastiditur atque contemnitur.

Et uidit Deus opera eorum, quoniam reuersi sunt a uitijs suis malis &c.

Hic hic (clamabunt) commendantur opera. Quid uero illorum uociferationibus & queritationi respondebimus? Hic uero iusticiarij parta uictoria adornant.

COMMENTARIUS

triumphum, sed nescio an sint triumphaturi. Tu uerba textus accuratius, & rectius quam illi solent, inspicere, sic enim dicit. Deus uidit opera eorum, hoc est placebant illi. Sed cuiusmodi opera? Hæc ipse interpretando nominatim perstringit, quoniam reuersi sunt, inquit, à uijs suis malis. I nunc & eiusmodi opera discite tu quoque, & doce alios, ac dum Deum, nedum operum iactantiam tibi faueamus, sed ipsi quoque in partem iactantiae ueniamus. A malis uijs desistere, inquam ueram innouate uitæ uiam regredi, non est uulgare opus, quod in se non complectitur ieiunium aut sacrorum amictum, sed est: animo in Deum credere, proximumque, ut se ipsum diligere, hoc est totius hominis probitatem, & iustitiam externe, & interne, & anima & corpore iustificati requirit. Siquidem Deus totum hominem habere cõtendit, extremo odio prosequens, qui neque sunt calidi neque frigidi, aut utroque pede claudicant.

Vitæ innouatio.

CAPVT III

Et contristatus est Ionas ualde & iratus est &c.

Age queso quis nõ merito miretur inauditam,

I N I O N A M

mirabile huius Prophetæ sanctimoniã, inepte stomachicis, grauiusq; ferētis, quod Deus peccatoribus sit clemens & propitiuus, & quibus gratiã impertitã diffauet, cuperetq; potius omnes miserabili absumptos esse exitio, præter charitatis naturam, quæ inimicis quoq; benefacit & bona precatur. Et quod maximũ est, hæc facit post expertã diuinæ seueritatis uoluntatem, in mari atq; ceto. Atqui ne tũ quidẽ à Deo obiurgatus, reprimit iracundiã, & tamẽ eam, tametsi iracundia ardeat, fidẽ obinet, ut mortẽ ipsa uita sibi potiore esse iudicet atq; præoptet, quod quidẽ nullo modo facere potuisset, si non summã in Deo fidutiã habuisset. Quid autem ad hæc respõdebimus? Potest ne tanta fides cum tanto flagitio consistere? Hic esset adferẽda quæstio, quæ discussa magno usui esse queat. Illud negare non possumus, Ionã non merito irasci, atq; adeo inique facere, cũ ipse Deus eũ propterea obiurget, uerbis, factis iuxta uitis albæ signo. Sed nec hoc diffiteri possumus, eundẽ in fide Deoq; acceptum esse, quando tam amice, & familiariter Deus cum illo sermonẽ societ. Præterea signũ exhibeat, & per omnia cum illo non secus agat, atq; homo amicus cum familiari suo solet agere atque colloqui.

Tum si maxime hæc omnia illi condonãda forẽt, illud certe intollerabile nec ullo modo ferẽdum esse ui-

COMMENTARIVS

detur, quod prioris inobedientie delictum, cuius gratia, non dicendis supplicijs erat affectus, iustum declarare nititur, & defendere, omni culpa in bonitatem Dei collata, cum inquit ò Domine nonne isti sunt sermones mei adhuc existentis in terra mea. Propterea praeuicui fugere super mare &c. Quid uero his uerbis aliud sibi uult, quàm ita loqui. Rectum erat quod si uiam à facie tua adornabam, abnegata ad Niniuitas profectio, tuaque bonitas in culpa est, siqua hic culpa est. Quid quæso istuc est? quid sibi uult ionas? Nonne Deo pertinaciter obsistit. Nonne summa operatur, sibi met accersendo periculum, ut denuo deimergo, in mille maria præcipitetur, à millibus cetis deuorandus? ut qui contra Dei bonitatem murmuret, ipsum iustum, & extra noxam esse declarando & Deum incusando. Quàm uero putas eam linguae proceram petulantiam, in Saule aut alio eius farinae homine in proprio, Deus compescuisset. Quod si Deus operum respectu iudicaret homines, in sexcetera tartara abijceret, & illa quidem profundissima, ut qui sua iracundia aduersus fidem & charitatem summa pertinacia seuiat atque ferociat. Dei siquidem bonitatem & clementiam in crimen uocat, præterea proximo gratiam impertita odiose inuidet. Scilicet hæc sunt sancti Prophetæ sancta opera. Imò potius si non hic semel sum

TE

IN IONAM

omnia uitia, quæ tum dicenda sunt uitia? Tam incerto penè sum animo, ut quid potissimum respondendum sit, nesciam.

**PRIMUM** quod hic dignum notatu existimo, est, ut uideamus quàm mirabilis sit Deus in sanctis eius, ne quis præcipitata curiositate ductus, quèquam temere iudicet aut condemnat, operis alicuius facti aut neglecti gratia. Fieri enim perfacile potest, ut opus aliquod malum sit, cum tamè ob hoc meum non sit hominem damnare & reijcere. Nam si hic Ionam intuemur, comperimus reuera opus suum malum & iniquum esse, quippe quod Deus ipse reprehendit & culpât. Nihilominus tamen dilectus est filius, quo cum familiarissime Deus sermonem sociat, ac si nullo prorsus timore, eius maiestatem reueretur. (uelut quoq; uerum est) illiq; ut patri confidit. **ALTERUM**, quod hic nobis discendum scriptura propositum est, ad nostræ imbecillitatis consolationem scriptum est, ne protinus omni spe abdicata, nonnunquam labentes & peccantes desperaremus, quoties animo nostro succurrit, quàm Deus indignis modis etiam suos dilectissimos labi, & errare permittit, sicut Christus ipse in Euangelio aliquandiu Apostolorum suorū imbecillitatem modestissime pertulit.

Ne temere iudicemus.

**TERTIUM**, quod uidemus quàm amice quàm

COMMENTARIUS

paterne quàm deniq; amanter Deus cū ijs qui in eum  
 rebus dubijs ingruentibus, certa fiducia, omnem spem  
 suam reiecerunt, agat. Et quàm nobis animi paterni  
 affectus, uere post ferulam dulcescere incipiat. *Crucis fru-*  
*ctus dulces.* ius rei argumento est epistola quoque Hebraeis scri-  
 pta, disciplinam, & correctionem dulcissimos adfer-  
 re fructus ijs, qui in ea crebrius exercitati fuerint.  
 Hic enim uides quàm prorsus peccatum non grauius  
 nec ulla poena retalietur, quod tamen uere peccatum  
 & poena non indignum fuisse constat. Sed cottidia-  
 nus est & puerilis lapsus, quem pater amico & in-  
 dulgente animo conuiuentibus oculis dissimulat. Ca-  
 terum cum impijs ad eum modū non agit, sed nec ita  
 sic huic rei se accommodare nouerūt, uerum subinde  
 fiunt ferotiores magisq; efferi, quoties sentiūt Dei  
 iram & sanorem parcētem, nō secus ac si illorum  
 intolerabilis impietas quoq; Deo boni consulēda  
 Porro Ionam gentibus Dei gratiam inuidisse, haec  
 ualde mirabile est. Siquidem firma, & constantis  
 apud Iudeos uigebat opinio, Israēl adeo solum popu-  
 lum esse Dei, qua de re supra quoque mentio facta  
 est. Omnes uero gentes iræ diuinæ subiectas esse  
 iuxta Psalmum .18. Effunde iram tuam super gentes  
 quæ non nouerunt te, & super regna, quæ non  
 tuum non inuocauerunt. Quare eam opinionē me-

IN IONAM

dicus tenebant, neminem unquam gratiæ Dei fore participem, qui non ante professio iudaismo, legem Mosaicam arripuisset. Usque adeo uero eius opinionis Iudæorum animis erat infixæ persuasio, ut nec Apostoli, nec primitiæ Ecclesiæ Christianæ aliter intellexerint. Cuius rei documento est Lucas scribens in Actis capit. secundum uidelicet circuisse Apostolos, et præter Iudæos nemini annunciasse Euangelium. Quin etiam cum Petro acriter expostulant, quod gentibus prædicasset Act. 10. et 11. Atque adeo magni miraculi loco ducendum est, si Ionas à Iudæis insectationem non passus aut omnino preemptus est, propterea quod Niniuitis prædicauerit, et Niniuem ciuitatem Dei nominat. Quippe Iudæis uidebatur intollerabile adeoque indignum, usquam locorum extra Iudaismum esse populum Dei, nec Mosaica lege teneri, quo titulo hic Niniuitæ à Iona commendantur. Quid illis expectandum putas qui libero ore docent, esse alicubi Christianos, nec quicquam esse impedimento, quo minus Christiani sint aut recte dicantur, qui constitutiones Papisticas, et Romanæ Ecclesiæ impias ceremonias perditasque statuta non teneant, aut etiam, ut digna sunt respuant. In uniuersum omnes tales sunt terque quaterque hæretici, schismatici, Pictardi, comburantur, comburantur, ad ignem, ad ignem.



COMMENTARIUS

Cur noluerit  
Jonas ire ad  
Niniuitas.

Et quis scit an ea causa non fuerit omnium uehementissima, qua motus Ionas, demandatam ad Niniuitas profectiōem suscipere non uoluerit, & iracunde obmurmurauerit, quod urbs, sicut prædixerat non subuertebatur, malissetq; mortē obisse potius, quàm quod inuitus uidere cogebatur, indignos gratiam Dei assequutos esse, Deiq; populum dici, citra legis Mosaicæ accessionem, & Iudaismi profectiōem. Quid uero hoc aliud esse dicemus, quàm dedecus & ignominiam populi Israëliti, ut qui non necessarijs legibus sit obrutus, sine quibus reliqui homines fœlicitate facile possunt consequi. Cur uero hic non magno stremitu macho dicerent? Quid dum nos tantis laboribus grauati promouimus, aut effectum reddidimus, cum paucissimi unquam tantum horam, labori impenderint, & tamen æquali nobiscum mercede remunerantur, qui totius diei æstum & pondus magno sudore percellimus, sicut in Euangelio de mercenarijs conductitijs memorie proditum est. Nonne tanta præmij, & laboris inæqualitas, merito primis commoueret bilem stomachum? Cur non sunt censendi potiores? cur non copiosiore remunerandi stipendio? Non secus hic quod agitur. Niniuitæ citra legem & Prophetas inuisantur gratiâ, & Iudæi sub lege immensis & non bene æstimandis laboribus, non maius præciumope

I N I O N A M

re faciunt nihilo plus acquirentes. Imò potius tota demum uia à gratia aberrant, omni spe, hiantis corui instar frustrati, dum murmurando & tranuerse obtuendo melius quiddam & præstantius in Euangelio habere contendunt, gentibus quoq; parum fauentes acceptam Christianismi professionem. Et sanè hæc esse opinor, quæ Ionæ animum non mediocri indignitate mouerint, ut qui harum rerum omnium adeo solus, sua prædicatione apud Niniuitas habita, autor fuerit. Ipseq; primus esse uideatur, cuius opera Iudaismus in cōtemptum uenerit & inutilis esse censeatur. Qui potuisset huius culpæ sibi conscius indēnis mansisse in patria. Certe temere sibi fuga non consuluit, eiusmodi prædicationis inunctæ munus pertinaciter detrectans. Nam Iudæum esse, & tamen prædicare Iudaismum esse superuacaneum, utpote sine quo gratia Dei impetrari queat, perinde fit, ac si quis Iudæus Iudæorum gloriam, ut inutilium eleuando deprimere, gentes uero magnis laudibus extolleret. Id quod ipsi Paulo accidisse uidemus, ueluti Lucas abunde testatur in Actis.

Iam, ut Ionæ feruida iracundia sedaretur, haberetq; quo iratorum Iudæorum ferotiam, respondendo compesceret, ludit Deus cum illo dato signo, sicut Petro quoq; fecerat Act. 10. Ionæ, opinione persuaso,

COMMENTARIUS

demittens illi celitus linteum quoddam omnis generi  
 animantibus refertum, auditamq; uocem quæ dice-  
 ret, omnia munda esse, cum tamen in uniuersum gen-  
 tiles essent, non habentes legem à Mose constitutam  
 &c. Ad hunc modum quoq; Ionæ Deus consimile si-  
 gnum exhibet, sinens excrescere uitam albam (quam  
 illi cucurbitam uerterunt, qua de re mox infra copu-  
 sius) quæ suis folijs solis feruorem propulsando, Ionæ  
 frigus opacum suppeditaret. Cum itaq; multum in  
 luptatis ex tabernaculo frondoso cepisset Ionas, &  
 uehementer letaretur uitæ albæ amentate, suborsus  
 Dominus in aurora uermiculum, quem sibi Ionas in  
 pollicebatur aut expectabat, cuius morfu icta uitæ  
 ba amisso uigore exaruit, & Ionas sua uoluptate  
 spoliabatur. Ad hæc meridiano æstu supra modum  
 uente solis ardoribus uehementer eius uerticem in  
 tabernaculo iam exuti premi siuit, ut eius animi do-  
 & tristitia gemina accessione cumlaretur, dum  
 nil quicq; ex animi sui sententia uidet succedere. Qu-  
 obrem iterum mortem precatur, ut ab omni per-  
 batione liberaretur. Interea uero loci commodum  
 sto est Deus, placans eius feruentem animum com-  
 dendo, in manu sua sitam esse liberam faciendi po-  
 statem, quicquid illi usum fuerit, quemadmodum  
 quitur in Euangelio paterfamilias. Coniuncti  
 Ionæ

IN IONAM

Ionam temere, & præter causã irascentem, inquires.  
 Tu quidem perturbaris animo, ob uilis arbusculæ are  
 factæ amissionem. Quanto uero uilior eiusmodi arbu Ratio huma-  
 scula reputanda est, ad hominẽ collata, ut taceam ad na tenebræ  
 totam ciuitatem? Et cur non, & hoc ardentibus uo- sunt.  
 tis, & libenter quidem optandum tibi esse uideatur,  
 ut maneat illæsa ciuitas, quem tantopere uitis albæ  
 perturbat interitus? Quid uero ad hæc uerisimiliter  
 auderet Ionas uel hiscere? Obmutescendum erat illi,  
 ut suo ipsius iudicio conuicto, in quod per uitem al-  
 bam ex improviso inducitur. Vsq; adeo res est friuola  
 & nihili humane rationis solertia, ad Deum collata.  
 Ceterũ uitis alba apud Hebræos Kif siue Kifaion  
 dicta quondam ueterum ingenia uarie exercuit. An-  
 tiquissimi interpretes cõtenderunt recte dici cucurbi-  
 tam. Tandẽ uenit Hieronymus qui interpretatus est  
 hæderã, quæ est Ep hau, inquit Latinis hominibus  
 eam speciẽ arboris incognitã esse, sed nasci creberri-  
 me in Palestina, lata habere folia in modum pampi-  
 ni, mirumq; in modum, si sementem ieceris intra  
 paucos dies consurgere in arborem, adeo ut um-  
 braculum præbeat sub ea quiescentibus, inde ab  
 antiquis dictam esse cucurbitam nonnulli uolunt.  
 Nos uero prorsus opinamur eam esse arbusculam,  
 quæ à rerum naturalium peritis, uitis alba dicitur.

COMMENTARIUS

quam Germani nostri Vuld ruben uocāt, et sic quod  
 uertere libuit. Quod enim hædera non sit, iuxta inter-  
 pretationem Hieronymi, ut ipse subdubitare uisus est,  
 inde colligi potest, quod hædera suo caudici seu caudice  
 nitatur, sicut Kikaton, sed per muros aut arbores  
 fusa, inheredo quaqua uersum serpit, ita ut longe ma-  
 nus illi à scopo aberrarint, qui cucurbitam uerterit,  
 quam qui hæderam, tametsi Hieronymus eosdem se-  
 se subsannet Cucurbitarios uocans.

Sed nõ magni referre arbitror, utro malis uti, nec  
 æquum est, ut ob unam aut alteram uoculã, tanta con-  
 tentione inter nos digladiemur, cū de re certi simus.  
 Illud pro uero constat, eam arbusculã, tametsi pro-  
 tura sua, cito in immensum succrescat, in una nocte  
 rabili quadam ratione, propter Ionam in eam magne-  
 tudinem foliorum luxuria excreuisse. Et Ionam lon-  
 go tempore sub ea habitasse, fortasse donec quadra-  
 ginta dies fuissent exacti. Dicit enim textus illi con-  
 specta Niniuitarum poenitentia e ciuitate exiuisse, et  
 tructoq; tabernaculo sedisse, ut spectaret quid fieri  
 accideret. Siquidem statim initio mala habebat, et  
 quod ducti poenitentia resipiscerent, timebatq;  
 re, ut urbs nõ subuerteretur. Post exactos uero qua-  
 draginta dies, ubi præscriptum tempus præterisset,  
 in iram prorumpit, ubi uidisset prædicationem fructu-

frustra esse. Inde indigno murmure aduersus Deum stomachatur corripendus & obiurgandus, adeo ut cogatur etiam, re infecta pudore confusus & humiliatus, ad patriam terram commeari, magna tamen intelligentiæ suæ accessione, & fructu auctior & cumulatio. Ex his omnibus iam perdiscimus, Deum Deus omnes omnium hominum esse auxiliatorem, non tantum Iudeorum, sicut Paulus scribens Timoth. 2. affirmat, cunctos homines Deum uelle saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis peruenire. Præterea quam nos gentiles, & ethnici, qui extrema hora uenimus, nequicquid laborauimus, indigne gratiæ diuinæ facti simus participes, cum illa nobis uelut Iudæis promissa non fuerit. Faxit Deus, ut pro tantis beneficijs grati inueniamur, & accepta gratia, ad nostram utilitatem recte utamur, ueluti Ninuitæ fecerunt. Ne & nos post hac propter ingratitude peius, & grauiore supplicio affecti subuertamur, quemadmodum & post Ninuitis euenisse certum est. Hæc enim Ionæ historia propterea à maioribus ad nos transmissa est, ut Deus sua miracula nobis commonstraret, uidelicet ibi fructuosissimum esse eius Verbum, ubi minime speratur. Contra ibi fere sine fructu prædicari, ubi maximum nobis pollicemur. Nam hic in Ninuæ gentiles credunt ex animo, etsi omni uerbo prius in totum carue-

COMMENTARIUS

runt. Iudæi uero in incredulitatem prolabantur, quibus cotidie Dei Verbum ad nauseam usque inculcatur. Ne de quoquam facile desperemus, aut de quoquam perperam præsumamus.

Ad calcem historie addit & illud, fuisse scilicet Niniuen plusquam centum & uiginti hominum millia, e quibus urbis magnitudo facile æstimari potest. Cum enim certo numero exprimat centum, & triginti hominum millia, nonnihil quoque adiiciens, prætere indicat centum, & triginta uirorum millia in urbe non fuisse. Alioqui eadem opera addidisset, plusquam triginta aut quadraginta millia, aut ducere millia. Iam uero non usquæ adeo inusitata magnitudinem urbem esse constat, in qua habitent ducentarum hominum millia, præcipue quæ floreat, sicut hic Ninive, quæ metropolis erat, & caput totius imperii Assyriorum. Nisi ita uelimus accipere, eorum hominum, qui non cognouerunt dextrum, aut sinistrum, tam fuisse multitudinem, quales sunt pueri & senes, adultorum uero longe copiosorem fuisse numerum. Ego tamen hanc interpretationem non amplector, sed in uniuersum, illos omnes non cognouisse, quod dextrum aut sinistrum esset, hoc est, quæ admodum inueniuntur loquimur, neque hoc neque illud, in rebus diuinis habentur cognitum, ut qui legem Mosaicam, & Prophe-

IN IONAM

tas non habebant, quorum opera fuissent instituti,  
 quomodo in spiritu & corpore, externe, & interne  
 coram Deo uiuendum erat, ueluti Iudæi habebant.  
 Ita enim dextrum, significatione adplicare possumus  
 ad spiriualia interne præstanda, & sinistrum ad cor  
 poralia externe nõ negligenda. Deus enim iuxta cor  
 pore & animo colendus est. Et de his quidem rebus  
 nunc satis superq; dixisse uideor. Nunc deinceps etiã  
 allegoriæ spectandæ sunt, quarũ hic tres esse cõperio.

PRIMA.

Ionam Hebræi columbam uocant. Iam in nouo te  
 stamento spiritus sancti speciem columba refert Lu  
 cæ. 3. & Iohan. 2. præsertim manifesti illius spiritus,  
 qui in omnem mundum mittitur per Euangelium, ad  
 annunciandum Christum. Ita ut Ionas suo nomine *Ionas sp. s.*  
 spiritus sancti, & officij eius, uidelicet prædicandi Eua<sup>ngelii</sup> symbolu  
 gelij, symbolum exprimat, non in aliud quã, ut o  
 mnes Apostoli, & prædicatores quoq; sint Ionæ, hæ  
 beantq; columbam, hoc est spiritum sanctum, & ni  
 hil proprio ductu, sed omnia spiritus sancti instinctu  
 doceant. Quemadmodũ ipse Christus Matth. 10. suis  
 Apostolis præcepit, tubẽs eos omni dolo malo uacu  
 os esse, seruatis tantũ colubina simplicitate, & serpẽ  
 tina astutia, hoc est, ut sincere & pure citra humana  
 rum doctrinarũ fermentũ simpliciu animos doceant;



COMMENTARIUS

ueluti spiritu sancto dictante acceperint. Et cum  
mine dolo malo agant, tam in uerbis quam in op  
per avaritiam cauponātes sermonem Dei gratuito  
ceptum. Porro Ninive hebraeis sonat pulchrum fo  
rmosum, qualiter urbs pulchris edificijs exornata  
pulchra est, & spectabilis. Atq; hæc mundi typos  
Ninive mun- obtinet, diuitijs, uoluptate, sapientia, fortitudine,  
di typos. sanctitate, dignitate & honore suo ugentis & ab  
dantis, inq; summo humanae foelicitatis gradu con  
stentis, sub quo tamen mera abominatio, & peccata  
coram Deo delitescunt. Quod uero mundi in  
uerbum auditum suscipiunt, ieiunāt & saccis coop  
riuntur, inq; cinere humi desident, uerbi prædicatio  
fructum significat, omnia inuertentem facientem  
ut homines suam sanctitatem, robur, diuitias, uol  
ptates, dignitatem ducant pro nihilo, aestimantē in  
becillitatem, paupertatem, sordes, dedecus, ignom  
niam, dispēdia, repudiatis, & contemptis omnib  
Et hoc est uere sedere in cinere, saccos induere, te  
peranter uiuere, ita ut pecora quoq; hoc est, illorum  
corpora ieiunent, & saccos induant, hoc est, ut in  
luptatibus abdicatis frenentur, & domantur.

Quod autem Iona e iudæa patria in longinqua  
regionem mittitur, illud innuere uidetur, spiritum  
Verbum Dei, à populo iudaico auferendum, & ego

tibus dandum esse, id quod Christus ipse Mat. 21, futu-  
 rum prædixit, inquitens. Ideo dico uobis auferetur à  
 uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus  
 eius. Quod uero fugit, & tantis periculis obijctur,  
 crucem & persecutionem significat, quibus Euange-  
 lium in mundo diuexatur, & premitur. Semperq; Verbum con-  
 uidetur uerbi officium terguersanti atq; succumben- demnat mun-  
 ti simile, tam imbecillum, tamq; inualidum esse appa- dus.  
 ret erga tantos assultus, quibus undiq; oppugnatur.  
 Propterea quod ij qui illo funguntur officio, fugaces  
 sunt, hoc est imbelles & uiles homines. Ipsum uero  
 mare, hoc est mundus, immensum & potens est suis  
 furijs, minis, & tumultibus. Quin etiã ipse piscis non  
 uno nomine metuendus & terribilis est, miseros tam  
 uasto gutture, tamq; acutis dentibus territans, atque  
 ille quidem principem, & Deum mudi, nimirum Dia-  
 bolum significat, qui ferro, igne, cædibus & sangui-  
 ne per suos principes, & huius mundi magnates, im-  
 mane quantum furit, ferocit atq; grassatur. Verũ Io-  
 nas diuinæ uirtutis potetia saluus conseruatur, ut uer-  
 bi officium neq; sua fuga neq; marinis fluctibus possit  
 impediri. Sed omnibus superatis periculis tandẽ emer-  
 git, atq; ad Niniuitas usq; peruenit. Itaq; tametsi ma-  
 gna sit prædicatorum imbecillitas, & mundi immen-  
 sa potentia, maiorẽ tamen Verbo diuino uirtutem esse

C O M M E N T A R I V S

planè perspicimus, utpote quam nec tot pericula, nec tot enses, aut calamitates queant opprimere, quo minus non per saxa, per ignes penetret atq; per rumpat abruptis omnibus obstaculis, & retinaculis. Et quis uis Verbi diuini ministri, ad unum omnes panoleter quadam occidantur, non potest tamen nõ nisi hoc potius uigere Verbi dignitas, atq; in omnes mundi angulos löge lateq; propagari. Sicut uidemus hoc in hostolis passim occisis esse uerissimum, nobis quidem consolationem, ne protinus ad conspectum maris immans ceti, molles facti exalbescamus, certo animo persuasum habentes, Dei Verbum quod prædicatum his omnibus esse potētius. S E C V N D

Mors & uita  
peccatorum.

Spiritualis insectatiõis symbolũ exhibet, qualiter peccatore agatur, qui spiritualiter moritur iterũque uiuificatur, hoc est, quãdo ab omnibus uitijs purificatur iustificatur. Ea uero res ita se habet. Primũ est peccatum in qd' omnes, per Adami inobediẽtiã successu quodam hereditario, prolapsi sumus, qd' quidẽ multitudine nefarijs nostræ inobediẽtiæ sceleribus cumulatim grauauimusq;. Atq; ita à facie Dei fugimus, ut nõ faciamus ea que Deus à nobis faciẽda exigit. Præceptum uero quoties in sanctũ illud, et speciosum peccatũ leuamur, nimirũ in hypocrisis, et falsum Dei cultũ à nobis uerbo desciscẽtes. Et hoc est inobediẽtia, et fuga ton-

IN IONAM

facie Dei. Quam diu enim in peccatis uersamur, Deū  
 nō uidemus, peregre profecti ē patriæ finibus, sicut fi-  
 lius ille in Euāgelio perditus. Qd' aut potissimū super  
 mare fugerit, nullo certo fugæ suæ loco electo, signifi-  
 cat peccatorē, quando uita sua perditā à Deo fugit, et  
 desciscit, nihil certi in animo suo statuere, sed quocūq;  
 pedes tulerint, carnis et mūdi ductū sequitur, nūc huc  
 nūc illuc raptus & actus à Diabolo. Atqui nec multū  
 sollicitus est quo perueniat, tantū ne in patria, diuinis  
 iussis obsequēs esse cogatur, animi sui libidini relictus.

Dum uero in Iapho descēderet, inuenit instructam  
 nauim, numeratoq; nauulo, ingressus in eā, ad interiora  
 se cōferens, atq; ad somnū cōpositus profunde ster-  
 tendo nauigat. Iapho decorū aut pulchrū dicitur, & Iapho impio-  
 hęc impiorū multitudinē exprimit, qui in speciē san-  
 rum typos-  
 Etam, & irreprehensibile uitā degunt, nō obsequētes  
 Deo. Hęc itaq; ciuitas ualde apta est, & accomoda  
 inobediētiae, opinioni, & à se electæ iustitiæ. Ibi enim  
 nauē instructā repperit, hoc est, ut animo suo uidetur,  
 cōmodū ritū, & doctrinā, cuius ductu & auspicio ue-  
 hendū se permittit, sicut est lex Dei humana ratiōe in-  
 tellecta. Sed & nautæ presto sunt, hoc est, legis &  
 priorum operū doctores, nauim nullo certo cur-  
 su dirigentes, ita ut per omnia uarijs agantur errori-  
 bus. Siquidē in lege nulla secūra & certa corā Deo est.

COMMENTARIUS

conscientia, sed maris instabilitate iam huc iam illuc fertur & rapitur. Atq; his Ionas pro uectione nauulum persoluit. Eius enim generis Doctores animalium uentris sunt, legis expositionem in quæstu habentes, qui nummularum respectu & docent, et uehunt alios. Quin etiam plena manu, certatim omnes homines illis nummos offerunt, adeo ut diuitijs abundant etiam. Sicut Deus populo pro remunerandis operibus terram Canaan possidendam obtulerat. Ceterum Apostolis, & Euangelistis nihil datur, sed potius siquid habent uolenter eripitur. Ionas autem conscensus naui legi erudiendum se offert, iacens infra in nauim utramuis aurem secure stertit, hoc est, securo & ocioso est animo, putans nihil subesse periculi, uerum omnia tuta & trāquilla, planeq; quod dici solet omnem rem in uado fore, inq; eo rerum statu subinde perire nauigat. Quemadmodum faciunt omnes iustitiam, qui suis operibus iusti esse contendunt, qui in illorum splendida uita, usque adeo sunt absorpti, ut securo sompore correpti dormiant etiam, nihil sentientes aut intelligentes, quantum malorum faciant. Ecce hoc est in iapho, & infra in nauim descendere, haud distat ualde alte, & procul à Hierosolymis ciuitate Dei, hoc est, à Dei obedientia, in profundum inobedientie, & proprie opinionis pelagus.

Iustitiariorum  
securitas.

Cum

Cum uero Deus uenisset immorigerum sanctum  
 à somno excitaturus, eiusq; sanctitatem peccati de-  
 claraturus, immisa tempestate fluctuum, procellas cõ Gustus diuini  
 citat, hoc est iudicium, & iracundiæ suæ furorem de iudicij-  
 gustandum atq; sentiendum illi propinat. Hic tan-  
 dem pessum ut, omnis falso persuasæ sanctitatis præ-  
 sumptio. Desperant quoq; ex æquo, & magister &  
 discipulus, nec potest consistere ullorum operum fi-  
 ducia. Et planè periculum est, ne fracta naui omnes  
 submergantur. Atq; ibi quisq; Dei sui implorat auxi-  
 lum, hoc est, sua bene acta uita fretus, falsam sp̃e anti-  
 mo concipit. Cæterum omnia idola hic surdis sunt au-  
 ribus, siquidem ueri Dei cognitione non sunt illustra-  
 ti. Deinde Ionam quoque excitant, hoc est ueri legis  
 auditores fiunt, & lex suo recto fungitur officio, ita  
 ut amplius non doceat opera, aut falsam consciētiam,  
 sed demonstratis peccatis, & iracundia Dei, conscien-  
 tiam territat, id quod per sortem, qua peccati reum  
 queritant, significari uidetur. Neque enim lex à  
 querenda & excrutanda conscientia desinit, donec  
 inuentum & conuictum peccatorem ad cõfessionem  
 pertraxerit atq; impulerit. Sicut Dauid inquit, cum  
 tacui inueterauerunt ossa mea &c. Sortis autem mit-  
 tendæ ratio innuit, peccatum præter sp̃em inueniri  
 atq; cognosci, & lege nos tangi, non quando nobis

COMMENTARIUS

uidetur, sed quando nihil minus speramus, tunc ad-  
 rit paterfamilias, ex improviso nos oppressurus. Hic  
 tum Ionas non potest non fateri se peccatorē esse,  
 alioqui ( inquit ) mare non sedabitur. Quan-  
 quam uero magno studio remis incumbunt, littoris  
 attingendi gratia, frustra tamen tantopere remi-  
 gant, hoc est, tametsi eiusmodi conscientia, tam con-  
 uicta est, tamen ægre fert mortis iudicium, licet non  
 diffiteatur sibi perferendum esse, peccatis commis-  
 tum. Et hoc est quod Ionas non ultro in mare de-  
 siliendo præcipitem se dedit, sed ab alijs in illud  
 præcipitatur.

ULTIMO, quia sacra hæc, iuxta prouerbium, ali-  
 ter constare non poterant, Ionam in mare abijcunt,  
 ueniam tamen à Deo precantes, ne illis sanguinē in-  
 nocentē imputet, magna trepidatione timētes Deum.  
 Et hoc est quod Paulus Romanis. 7. scribit. Legem bo-  
 nam, iustam, sanctam esse, nihilominus mortificare,  
 & Deum insensum nobis reddere. Qua de re nunc  
 latius & plenius disserendi, præsentis non est insti-  
 ti aut consilij. Quod autem Deum metuunt & co-  
 lant, illud haud dubie significat, legem quoties gen-  
 tibus suo officio fungitur, Dei organum esse, hoc est, in-  
 cere timidos humilesq; cultores Dei, quæ prius dum  
 adhuc Ioppe erat, per abusum falsamq; opinionē nec

IN IONAM

tri seruiebat, naulum uiritim receptans, stertentes, se-  
 curos, & falsos iustitarios constituendo. Tandem  
 uero adest subornatus cetus, Ionam deuorans, hoc est  
 mors & infernus, is enim istarum rerum ordo est. **Legis opus-**  
 consequentia. Initio lex est, mox peccatum, postre-  
 mo mors, ueluti Paulus docet Corinthios. 1. Corinth.  
 15. Lex peccati uirtus est, mors uero peccati stimulus.  
 Hoc ita accipiendum est, si à peccatis immunes esse-  
 mus, & à morte essemus liberi, ita ut nihil iuris mor-  
 ti in nos esset relictum, neque cesim, neque punctim  
 uulnerare potenti, sed prorsus esset inualida, obtusa  
 cuspide, & sine stimulo. Vbi uero peccatis graua-  
 ta est conscientia, protinus morti sua adsunt arma,  
 suaq; uirtus, quibus hominem conatur perimere, &  
 perimit quidem, nisi presenti fuerit aduuius auxi-  
 lio. Ita quoque si nulla lex esset, peccatum quoq; es-  
 set inualidum atq; edentulum, non mordens conscien-  
 tiam, ueluti plerunque facit, dormientibus Ionis in  
 nauis, & iustitarijs secure stertentibus. Sicut etiam  
 in natura se habet, ut ubi lex non est, nec peccatum  
 esse potest. Veniente uero lege, mox & peccatum  
 praesto est, sentiturq; in conscientia. Quam nunc  
 aspectu terribilis, suo rictu cetus fuerit Ionæ, tam ter-  
 ribiles etiam mortis minæ sunt peccatrici, & trepi-  
 danti conscientia.



COMMENTARIUS

Jonas itaque per tres dies, & tres noctes in pisce moritur, hoc est, tantis trepidationibus & mortis necessitatibus oppressus est peccator, multipliciter cum morte luctando, donec uictus in totum desperet. Si quidem intra trium dierum spatium, haud difficulter certis quibusdam signis deprehendi potest, num quis egerit animam nec ne. Et qui tertium diem mortuus abtigerit, de eo actum esse nemo dubitat, quamuis non in totum tres dies iacisset mortuus, id est, quando per integrum diem & noctem iacisset exanimis, conclusus esse dicitur. Ille enim praecedentis ac deinde subsequenter diei horam potest attingere. Atque eiusmodi trium dierum exiguum est tempusculum, in morte spirituali. Cito enim fieri potest, ut a mortis doloribus & angustijs ad desperationem impellatur. Deinde unicum Dei Verbum peccatori ad annunciandum mittitur, uidelicet Euangelium gratiae, quod pisci imperat, hoc est morti, ne hominem perimat aut perdat. Hinc quoque fides in corde emergit, liberaturque homo iuxta a peccatis & morte, atque ita in gratia & iustitia cum Christo animo leto uiuit, & alacri. Unde Jonas quoque eam perdiscit cantilenam, hostiam laudis sacrificabo Domino, &c. Culpano eos qui rebus & iustitia, fiducia sua sequuntur uanitatem, negligentes gratiam. Quippe tales homines certo comperantur

operi

## I. N I O N A M

opera legalēq; iustitiam nullius esse momēti, solamq; adeo gratiam nobis posse auxiliari. Atq; ij tandem tales euadunt, quorum opera multum fructus, & utilitatis adferre potest mortalibus. Nouerunt enim experimēto docti, alios recte docere, mōnere, dare consilia, capessere rempubl. cum non tantum ē libris & mutis magistris hęc hauserint, sed partim spiritu sancto doctore, partim proprio quoq; experimento ista didicerunt. illorum itaq; doctrina demum potens est & efficax, sicut hic Ionas, sua prædicatione ad Nininitas facta significat.

### T E R T I A .

Hanc Christus ipse interpretando in se deriuauit Matth. 12. tametsi non in uniuersum sit allegoria, sed comparatio potius. Quippe Christus solum Ionam sibi confert, quemadmodum in uentre cœti tres dies, & tres noctes fuerit, affirmās sibi quoq; in terra tantum temporis iacendum esse. Et uocat illud signum Ionæ, hoc est, signum quod Ionæ respondeat. Neque enim tres dies, more allegorico interpretatur, id quod aliās in allegorijs exponendis serè solet. Propterea comparationi uicinius est, quàm allegoriæ, nec quisquam ad eum sensum auderet trahere, nisi Christus ipse prior ita intelligendum esse docuisset. Verū hac de re prolixior hic non est habenda disputatio, cum  
hęc

COMMENTARIUS

hæc omnia per totum orbem; & lippis nota sint & tonsoribus, quomodo Christus mortuus sit, & iterum à mortuis resurrexerit. Et hoc est miraculum illud incredulis iudæis exhibitum, imò potius uniuerso mundo oblatum & annunciatum per Euangelium, ut certo cognoscerent omnes homines, quemadmodum cuncti in uniuersum, hoc inusitato et diuino opere, à mortis, peccatorum, & inferorum tyrannide effensus redempti, cuius sincera ex corde fide profiteremur. Veruntamen totus mundus hoc signo offenditur, cum primis uero iudæi, estque prorsus illis ipsi offendiculum & stultitia. Nihil secus tamen illis datum est, nec est quod expectent, aut in spem erecti, si bi polliceantur aliud. Stat enim tam sententia. Generatio praua & adultera signum querit, et signum non dabitur illi, nisi signum Ionæ Prophetæ. Qua de re etiam aliàs nobis dictum est prolixius.

**Vitis alba ludaicus est.** POSTREMO omnium, adest & uitis alba cum uermiculo, cuius morsu iceta sub aurorâ arefcit. Quæ res non tantum Ionæ iracundiæ & cogitationibus applicanda est, sicut textus sonat, uerum etiam Iudæorum, quem uitem albam fuisse rectissime dixeris. Stantissimum lata habet folia, quæ quidem in ea sunt præstantissima, quorum densitate Ionas umbram habet extracto tabernaculo aduersus solares radios.

I N I O N A M

la uero hic auditur fructuum mentio, sed nec quicquam  
 producit fructuum. Folia uerborum legis typum ob-  
 tinent, sicut Paulus testatur ad Roma. 3. oracula  
 Dei illis fuisse concredita. Sub ijs itaque folijs se-  
 det Ionas, hoc est Propheta, & sancti patres sub  
 Iudaismo fuerunt, ut sub temporali, & transitorio  
 tabernaculo, atque ceremonijs usque ad Christum.  
 Erat enim umbratile quoddam tabernaculum, quod  
 temporarium existebat, & momentaneum sed in-  
 fructuosum. Lex enim citra spiritus adminicu-  
 lum, nemini prodesse aut auxilium ferre potuit, etsi  
 complures eiusmodi homines spiritu sancto prædia-  
 ti, eidem subiecti fuerint. Quamobrem Christus  
 quoque ficum foliorum copia, & ubertate luxurian-  
 tem, sterilem tamen, diris deuouit, adeo ut protinus  
 exaresceret radicitus, quæ res à uitis albæ negotio  
 non discrepat. Nihil secus tamen Ionas hoc um-  
 bratili tabernaculo ualde delectatur, expectans Ni-  
 niuitarum interitum. Siquidem Iudæis ualde pla-  
 cebat, ipsis adeo solis Verbum Dei esse concredi-  
 tum, legalesque datas ceremonias, putantes omnes  
 gentes in totum esse perpetuo destinatas exitio, ue-  
 luti Ionas de Niniiuitis æstimabat.

Iam uero dum maxime sibi placent Iudæi hoc no-  
 mine, plane persuasum habentes, se solas populum

COMMENTARIUS

Judaismi sub-  
uersio.

Dei esse, & Ionas iam supra modum gestit propter  
uitis albæ umbraculum, subornatur à Deo uermiculus,  
qui uitem albam suis ferit & corrumpit denticulis.  
Hoc est, florente Iudaismo maximè, commodum  
Christus suo exortur Euangelio, quo tempore Iudei  
omnium erant arrogantissimi, hoc titulo, quod ipsi  
li populus Dei essent & dicerentur. Et momordat  
tem albam, hoc est, prædicatione sua, Iudaismum sub-  
uertit, per spiritum sanctum antiquata lege, omnes non  
lege eiusq; uirtute liberans. Ex illo adeo corruit &  
exaruit Iudaismi dignitas, usq; in hodiernum diem po-  
uniuersum mundum, nec spes est, ut unquam enatis  
dibus reflorescat. Sed nec quispiam sanctus aut Prophe-  
ta, sub eius umbra sedet aut recubat amplius. Et  
ne, quod dici solet, floruerunt. Quippe Christus uer-  
mis est, sicut ipse de se loquitur Psal. 22. Vermis sum  
& non homo, propterea quod tam crudeliter cruci-  
fixus adeoq; despicate contemptui habitus sit. Nihil  
lo secus tamen, ad morsum tam contempti uermiculi  
defloruit & exaruit tam splendida & amena arbor  
la. Tamq; ad uilem morsum, hoc est, ad contemptum Eu-  
gelij prædicationem, sic splendidi, sic amplius regni  
populi, funditus submersa est potentia.  
Quod autem uermis non uesperis, sed sub aurora  
exortum, albæ uiti damnum dederit, plane significat

IN IONAM

uidetur, tunc corruisse Iudaismū quando tempus gra-  
 tie exortum est, & noui testamenti iam olim facta  
 promissio, in omnes gentes dimanauit. Nam qui ui-  
 tem albam mirabili quadam ratione produxerat, idem  
 quoq; subornato uermiculo eandē percussam & are-  
 factam subuertit. Ad hunc modū quoq; Iudaismum  
 multiplicibus miraculis diuina potētia cōfectis, emer-  
 sisse satis certo constat, non propria uirtute aut potē-  
 tia, id quod nō paucis probari potest historijs, tempo-  
 re Mosi aliorumq; regum &c. Non secus quoq; Deo  
 uolēte, amisso uigore, exaruit & corrui, exorto iam  
 Euangelij lumine. Inde Ionas duplici nomine murmu-  
 rat. Primum quod uitis alba iam arefacta interierit,  
 ac illi sub eius umbra non liceat amplius desidenti  
 opacum frigus captare. Deinde quod Niniue non sub-  
 uertitur. Hoc et multis quoq; sanctis uiris parū equū  
 uidebatur, ut Iudæi desererētur & arefcerent, adeoq;  
 destruerentur, & Niniuitæ gentiles, suscepto Euange-  
 lio populus Dei fierent. Et hoc est quod tantopere so-  
 lis feruores capiti Ionæ à uento quoq; ualde diuexati  
 graues sint, ut planè imbecillitate deficiat. Siquidem  
 & Paulus scribens Romanis cap. 10. ualde anxie dis-  
 storquetur ob Iudæorum interitum, & subuersionē,  
 uelutq; non illibenter pro Iudæis fratribus anathema  
 esse. Illi uero ita respondetur æquius commoueri tra-

L

cundia ob Niniuitarum euerfionem, quàm uitis alba  
arefactionem, & iuftius manere Ninuuen incolumi,  
quàm uitem albam nō exarefcere. Atq; hoc eft quod  
Paulus dicit Roma. 11. per lapfum Iudæorum falutem  
cōtigiffe gētibus. Multo enim erat melius & æquius,  
ut Iudaismus pefsum iret ( qui alioqui fine fpiritu &  
nullius momenti prorfusq; sine fructu folia tantū pro-  
duxerat) quàm quod illo perdurante totus mundus in-  
teriffet. Et hæc quidem fententia diuinæ bonitatis  
fa eft iuftiffima, et æquiffima, ut certe eft. Quamobrem  
non immerito diuinæ benignitati, & clementiæ nos  
gentiles gratias agimus, cum Iudæis quoq; ſi  
deferto Iudaismo in Chriflum cōmuni no-  
bifcum fide fufcepta crediderint, ni-  
hil inde poſſit damni accedere no-  
bis. Porrò, ex hoc fuma pende-  
det fœlicitas, ad quam olim  
nos perducatur Deus om-  
nipotens. Amen.

FINIS COMMEN-  
tariorum Ione.

# INDEX

I O N A E.

## A

- Alba uitis est Iudaismus. 87. B  
Angor cōscientiæ. 34. A 40. A 41. B 51. A 52. A  
contra Arbitrium Liberum. 63. B  
Aspectus mortis horrendus. 40. B

## C

- Circumcisio inutilis ad consequendam iustitiam. 12. B  
Cognitio locorum & temporum utilis. 10. B  
Cognitio Dei naturalis. 27. A  
Conscientia quomodo erigenda. 38. A  
Conditio mortuorum non inquirenda. 45. B  
Conditio peccatorum post mortem. 53. B  
Crucis fructus dulces. 68. B

## D

- Deus est ubiq;. 16. B 43. B  
Dei cognitio naturalis. 27. A  
Deus inuocandus in aduersis. 46. B  
Deus quomodo inuocandus. 48. B  
Diaboli in aëre uolitant. 50. A

## E

- Exemplum pœnitentiæ. 32. B  
Externa opera cur fiant. 62. B

L ij.



I N D E X

F

<i>Fiducia operum pestilens.</i>	20. B	50.
<i>Fides fucata.</i>		31.
<i>Fidei ueræ natura &amp; potentia.</i>	39. B 42. A	44.
<i>Fidei inuocatio.</i>		49.
<i>Fides post tentationem.</i>		54.
<i>Fidel exemplum.</i>		58.
<i>Folij strepitus.</i>		59.
<i>Eruetus crucis dulces.</i>		61.

G

<i>contra gratiam Dei bifariam peccatur.</i>		71.
<i>Gratiæ regnum.</i>		72.
<i>Gustus diuini iuditij.</i>		76.

H

<i>Hypocritarum sanctitas.</i>		90.
<i>Humana incredulitas.</i>	48. A	66.
<i>Humana placita nulla.</i>		59.

I

<i>Iapho.</i>		10.
<i>Iapho impiorum typus.</i>		73.
<i>Idolum quid.</i>		30.
<i>Idololatriæ.</i>		30.
<i>Impij tantum pœnam timent.</i>		7.
<i>Inferni locus.</i>		59.
<i>Innouatio uitæ.</i>		61.

INDEX

	<i>Ionas unde natus.</i>	20. A
56.	<i>Ionæ officium.</i>	24. A
31.	<i>Ionæ peccatum.</i>	18. A
A 44.	<i>Ionas quare non obtemperavit Deo.</i>	22. A 23. B
49.	<i>Ionæ somnus quid.</i>	32. A
54.	<i>Ionæ Hymnus in media morte.</i>	46. A
58.	<i>Ionas quare noluerit ire ad Niniuitas.</i>	69. B
51.	<i>Ionas spiritus sancti symbolum.</i>	73. A
68.	<i>Iræ diuinæ sensus.</i>	52. B
	<i>Iudæorum lex sublata.</i>	23. B
12.	<i>Iustis diuinis citra cunctationē obtēperādū.</i>	18. B 20. A
20.	<i>non iudicandum temere.</i>	68. A
76.	<i>Iustitiariorum securitas.</i>	75. B
	<i>Iuditij diuini gustus.</i>	76. A
56.	<i>Iudasini subuersio.</i>	79. B
66.	<b>L</b>	
55.	<i>Lex cur data.</i>	23. A
	<i>Lex Iudæorum sublata.</i>	26. A
16.	<i>Legis opus.</i>	77. A
75.	<i>contra Liberum Arbitrium.</i>	63. B
52.	<i>Locorum &amp; temporum cognitio utilis.</i>	10. B
58.	<i>Lucta Ionæ.</i>	42. B
	<b>M</b>	
54.	<i>Manere in regno gratiæ.</i>	20. A
61.	<i>Merita operum nulla.</i>	61. B

L iij

I N D E X

Mors & uita peccatorum.	74. B
Multi propter unius peccatum affliguntur.	26. A
N	
Naturalis Dei cognitio.	27. A
Naturalis opinio de Deo.	47. B
Niniue ciuitas Dei.	59. B
Niniues magnitudo.	60. A
Niniuitarum fides.	61. A
Niniue mundi typus.	73. B
O	
Omnes saluos uult Deus.	72. A
Opera Dei rationi ridicula.	15. A
Operum fiducia pestilens.	20. B 56. B
Opinio papistarum de Deo.	29. A
Opus legis.	77. A
P	
Papæ onera.	13. B
Papistarum opinio de Deo.	29. A
Pœnitentia uera.	64. B
Pœnitentia an Deum moueat.	65. A
Pœnam tantum timent impij.	38. B
Peccatum Ionæ.	18. A
Peccata contra gratiam duplicia.	19. B
Peccatum in spiritum sanctum.	21. B
Peccatorum conditio post mortem.	53. B

I N D E X

74. B	Peccatorum mors & uita.	74. B
26. A	Personarum respectus nullus apud Deū.	24. B. 72. A.
	Ratio opera Dei ridet.	15. A
27. A	Ratio quid de Deo sentiat.	27. B
47. B	Ratio plane diffidit Deo.	28. A
59. B	Ratio humana tenebræ.	71. A
60. A	S	
61. A	Sancti interdum etiam peccant.	17. B
73. B	Sacco uestiri.	33. B
	Sacrificium laudis quid.	64. A
72. A	Seditiosi spiritus.	57. A
15. A	Sedere in cinere.	13. B
56. B	Sortilegium an sit peccatum.	33. B
29. A	Superstitio, id est, aberglauben.	34. B
77. A	Subuersio Iudaismi.	30. A
		79. B
	T	
13. B	Temporum cognitio utilis.	10. B
29. A	Typus deploratæ conscientiæ.	37. B
64. B	Timor Dei cultus dicitur Hebræis.	39. A
65. A	V	
38. B	Verbum condemnat mundus.	74. A
18. A	Votum in Script. quid.	57. B
19. B	Vocatio singularis ad Verbum prædicandū.	59. A
21. B	F I N I S.	
53. B		

INDEX



FINIS







Th  
137